An. et vol. CXI 6 Septembris 2019 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

CONSISTORIA

Consistorium annuntiatur die V mensis Octobris celebrandum pro novis Cardinalibus creandis.

Cari fratelli e sorelle,

il prossimo 5 ottobre terrò un Concistoro per la nomina di 10 nuovi Cardinali. La loro provenienza esprime la vocazione missionaria della Chiesa che continua ad annunciare l'amore misericordioso di Dio a tutti gli uomini della terra.

Ecco i nomi dei nuovi Cardinali:

1. S.E. Mons. Miguel Ángel Ayuso Guixot, M.C.C.I. – Presidente del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso;

2. S.E. Mons. José Tolentino Mendonça – Archivista e Bibliotecario di Santa Romana Chiesa;

3. S.E. Mons. Ignatius Suharyo Hardjoatmodjo – Arcivescovo di Jakarta;

4. S.E. Mons. Juan de la Caridad García Rodríguez – Arcivescovo di San Cristóbal de la Habana;

5. S.E. Mons. Fridolin Ambongo Besungu, O.F.M.Cap. – Arcivescovo di Kinshasa;

6. S.E. Mons. Jean-Claude Höllerich, S.I. – Arcivescovo di Lussemburgo;

7. S.E. Mons. Álvaro Leonel Ramazzini Imeri – Vescovo di Huehuetenango;

8. S.E. Mons. Matteo Maria Zuppi – Arcivescovo di Bologna;

9. S.E. Mons. Cristóbal López Romero, S.D.B. – Arcivescovo di Rabat;

10. R.P. Michael Czerny, S.I. – Sotto Segretario della Sezione Migranti e Rifugiati del Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale.

Insieme ad essi unirò ai membri del Collegio Cardinalizio: due arcivescovi e un vescovo che si sono distinti per il loro servizio alla Chiesa:

1. S.E. Mons. Michael Louis Fitzgerald, M.Afr. – Arcivescovo Titolare di Nepte;

2. S.E. Mons. Sigitas Tamkevičius, S.I. – Arcivescovo Emerito di Kaunas;

3. S.E. Mons. Eugenio Dal Corso, P.S.D.P. – Vescovo Emerito di Benguela.

Preghiamo per i nuovi Cardinali, affinché, confermando la loro adesione a Cristo, mi aiutino nel mio ministero di Vescovo di Roma per il bene di tutto il Santo Popolo fedele di Dio.

Roma, 1° settembre 2019.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Mario Borzaga, O.M.I., presbytero, et Paulo Thoj Xyooj, laico, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Ego enim iam delibor, et tempus meae resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi» (*2 Tim* 4, 6-7).

Haec verba Pauli apostoli plene compleverunt duo Venerabiles Servi Dei, martyres, qui usque ad finem testificationem perhibuerunt suae fidelitatis Evangelio atque Ecclesiae in terra Laosiana. Hi martyres sunt:

1. Pater Marius Borzaga, O.M.I., qui Tridenti die xxvii mensis Augusti anno mcmxxxii natus est. Undecim annos natus ingressus est Seminarium minus atque studia usque ad primam theologiam explevit. Anno mcmlii peculiarem sensit vocationem ad ministerium sacerdotale in terris missionis exercendum est Christum Dominum praedicandum, idcirco Congregationem Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae ingressus est et unum post annum die xxi mensis Novembris prima religiosa vota emisit in oppido Ripa de Limosano. Demum apud Seminarium Oblatorum in Fano Sancti Georgii Canapicensium studia theologiae complevit. Nuncupata professione perpetua, die xxiv mensis Februarii anno mcmlvii presbyter ordinatus est. Eodem anno die ii mensis Iulii missus est in Laosium. In oppido vulgo dicto *Paksane*, prope urbem caput Vientianam, Venerabilis Servus Dei primum in hac regione degit annum, studio incumbens sermonis Laosiani. Suo in «Diario viri felicis» atque in copioso litterarum commercio, quod in patriam mittebat, ostendit fidelitatem erga vocationem sacerdotalem, ardentem spiritum missionalem et Ecclesiae animarumque dilectionem. Describebat etiam vitam in illa haud facili missione, quae magis ardua facta est a communistarum militibus. Omnes difficultates superavit propositum quo populo Laosiano Christum donare voluit et missionarius sanctus fieri. Exeunte anno mcmlviii adivit christianam communitatem in parvo pago gentis *Hmong* quae dicitur, vulgo appellato *Kiukatiàm*,

ubi sedulo se dedit catechistis instituendis, familiis invisendis, aegrotis caritate suscipiendis et curandis. Feria secunda, die XXV mensis Aprilis anno MCMLX, Venerabilis Servus Dei in comitatu iuvenis catechistae Pauli Thoj Xyooj ad pastoralem visitationem perficiendam profectus est versus pagum *Pha Xoua*, distans tres dies pedibus per impervias semitas montium in tropicali silva. Ex quo itinere ambo numquam sunt reversi. Testificationes collectae usque ab initio confirmaverunt utrumque occisum fuisse in odium fidei christianae per manus militum politici motus communistarum vocati «Pathet Lao».

2. Paulus Thoj Xyooj, catechista laicus Laosianus e populo *Hmong*. Natus est anno MCMXLI in pago *Kiukatiàm*, in Laosio. Anno quidem MCMLVII baptizatus est, sedecim annos natus, atque Seminarium loci *Paksane* ingressus. Post unum annum ob valetudinis rationes Seminarium relinquere debuit. Reversus est in pagum *Kiukatiàm*, et insequenti anno locum *Na Vam* in parte septentrionali Laosii petivit. Testimonia eum describunt uti catechistam sedulum et paratum ad opus. Optime docebat, qua de re multi fidem in Christum amplectebantur. Deinde, relicto *Na Vam*, catechistarum Scholae in loco *Luang Prabang* nomen dedit, ubi tamen brevi mansit. Regressus est denique in pagum *Kiukatiàm*, ubi navam operam praestitit cum patre Mario Borzaga. Feria secunda, die XXV mensis Aprilis anno MCMLX, ille secum duxit eum in iter missionarium, de quo numquam reversi sunt. Ipse quoque supremum sacrificium est aggressus, in conatu sacerdotem missionarium servandi quem comitabatur. Testes rettulerunt postrema eius verba: «Ego hic maneo. Si eum occidatis, me quoque occidete. Si is mortuus sit, etiam ego moriar. Si is vixerit, etiam ego vivam». Iuxta quaedam testimonia, corpora eorum proiecta sunt forsitan in communem fossam in silva, prope locum vulgo appellatum *Muong Met*, in semita versus *Muong Kassy*.

Considerata fama martyrii duorum Venerabilium Servorum Dei, postulantibus Episcopis Laosii, Inquisitio dioecesana de martyrio peracta est apud ecclesiasticam Curiam Tridentinam a die VII mensis Octobris anni MMVI usque ad diem XVII mensis Octobris anni MMVIII, cuius iuridica validitas approbata est per decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XIX mensis Iunii anno MMIX datum. Rebus de iure servandis servatis atque parata Positione, Consultores Theologi, in Congressu peculiari die XXVII mensis Novembris anno MMXIV habito, asseveraverunt mortem duorum Venerabilium Servorum Dei censendam esse verum martyrium, ob Christi animarumque amorem acceptum atque in odium Evangelii et Ecclesiae perpessum. Itemque Patres

Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei V mensis Maii anno MMXV iudicarunt memoratos Venerabiles Servos Dei in fidei suae testimonium sanguinem effudisse. Inde Nos Ipsi eodem die facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret, ac statuimus ut sollemnis ritus beatificationis Vientianae in Laosio die XI mensis Decembris anno MMXVI, simul cum Venerabili Servo Dei Iosepho Thao Tien et aliis martyribus in Laosio, testibus Evangelii, celebraretur.

Hodie igitur Vientianae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Orlandus B. S.R.E. Cardinalis Quevedo, O.M.I., Archiepiscopus Metropolita Cotabatensis, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Marium Borzaga, O.M.I., presbyterum, et Paulum Thoj Xyooj, laicum, martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Lauri Tisi, Archiepiscopi Metropolitae Tridentini, Ioannis Pauli James, Episcopi Nannetensis, et Ioannis Khamsé Vithavong, O.M.I., Episcopi titulo Moglaenensis, Vicarii Apostolici Vientianensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Thao Tien, presbyter dioecesanus, et XVI Socii, presbyteri ex Societate Parisiensi missionum ad exteras gentes, ex Congregatione Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae et christifideles laici, martyres, heroici testes Domini Iesu eiusque Evangelii pacis, iustitiae et reconciliationis, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta decima mensis Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Decembris, anno MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 367.892

II

Venerabili Dei Servo Iosepho Mayr-Nusser Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Omnia possum in eo, qui me confortat» (*Phil* 4, 13).

Haec Paulina inflammans assertio Venerabilis Servi Dei Iosephi Mayr-Nusser gressus rexit et praesertim in aerumnis eius spem collustravit animumque confirmavit. Rerum temporisque adiunctis adstrictus, statuerat sibi fidem Christo omnino servandam: ipse enim haud haesitavit, certus roboris a Spiritu Sancto accepti et suae mulieris cum firmae et absolutae assensionis fultura, in consilio vitam suam offerendi ad regni Dei primatum defendendum.

Venerabilis Servus Dei die XXVII mensis Decembris anno MCMX familiari in praedio iuxta Bauzanenses Planities natus est, ex septem filiis quartus. Die XXIX mensis Decembris eiusdem anni lustrali aqua salutis perfusus est. Pater eius Iacobus mense Septembri anno MCMXV cholera mortuus est, relinquens sex filios orbatos et mulierem septimo gravidam.

Expleto bello, anno MCMXIX Italiae non tantum Italica regio Tridentina adsignata est, sed etiam Tirolis Meridiana, quae praecipue germanica lingua utebatur.

Anno MCMXXIII, regimine fascistarum constituto Italicae consuetudines gentibus Tirolis Meridianae vel Athesiae Superioris imponi coeptae sunt. Hoc quasdam dissentiones edidit, ex quibus *Manipulus Popularis Militantium Tirolensium Meridianorum* ortus est, cum nazistarum Germania valde consentiens.

Patre orbatus, Venerabilis Servus Dei cito matrem suam in gerenda domestica administratione vinaria adiuvit. Commercialis periti diplomate exornatus, ab anno MCMXXVIII arcarii munere Bauzanensi in societate functus est. In Pedemonte anno MCMXXXI in Alpinis ac in artillaria militavit.

Iuvenis Iosephus in familia funditus christiana atque ad caritatem et hospitalitatem prompta institutus est. Progrediente aetate, usque magis spiritualitas per orationem, per participationem ad Sanctam Missam, per vitam liturgicam, per Verbi Dei lectionem et denique per doctrinae christianae

consentaneam pervestigationem in eo ample concrevit. Singulariter allectus est a Sancti Thomae Mori, viri politici ac martyris, operibus, et praeterea ad opera Romani Guardini, theologi sui temporis, cum studio accessit.

Eius participatio ad Actionem Catholicam valde eminuit, nam una cum aliis fundator "*Coetus Canisio dicati*" fuit. Anno MCMXXXIV consociationum catholicarum germanicae linguae in Tridentina dioecesi praeses electus est. Illis in adiunctis, cum contentiones exstarent coetuum Italici atque Germanici, Venerabilis Servus Dei operam navavit ut in concordia et cooperatione partes una viverent, caute ac clam tamen Tirolis Meridianae consuetudinibus moribusque favit.

Eius ferventis vitae christianae clarum signum fuit actuosa participatio ad Conferentiam Sancti Vincentii Bauzani, cui anno MCMXXXII nomen dedit. Cum Bauxanenses ad Planities Conferentiae sectio fundaretur, ipse eius praeses fuit.

Iam tricesimum aetatis suae annum ingressus, sibi proponebat ut familiam constitueret. Hac re muneris sociam, scilicet dominam Hildegardam Straub, sibi in matrimonium petivit, quae primum huic gravi rei repugnavit, quia corde suo monialem Benedictinam se consecrare cupiebat. Attamen pertinacia et sincerus affectus Iosephi effecit ut deinde ea matrimonium acciperet.

A die XXIII mensis Augusti ad diem XIV mensis Decembris anno MCMXXXIX Iosephus in Sardinia militiam exercuit. Anno MCMXXXIX, politicis adiunctis valde implicatis gentibus Tirolis Meridianae iniunctum est ut si in Tiroli Meridiana vel in Athesia Superiori manere vellent, omnino se Italicos esse fateri deberent, sin autem linguam et mores germanicos relinquere nollent, se in civitatem Germanicam ascriberent migrarentque illic. Sic duo coetus oppositi constituti sunt, scilicet illorum, qui vulgo dicebantur *Dableiber*, id est manentes, et illorum qui vulgo *Geher*, scilicet optantes migrationem, nuncupabantur.

Dies XXXI mensis Decembris anno MCMXXXIX erat terminus intra quem optio exprimenda erat: Iosephus eiusque familia paterna in praedio manere statuerunt.

Venerabilis Servus Dei consociationem *Andreae Hofer* ingressus est, confidens se numquam ad arma vel ad vim accessurum ut iura suae gentis vindicaret.

Incepto altero bello mundano, fere per annum militavit. Die XXVI mensis Maii anno MCMXLII Iosephus et Hildegarda in matrimonium se coniunxerunt. Eorum amor die I mensis Augusti anno MCMXLIII ortu Alberti filii coronatus est.

Rerum perturbatio coniugum vitam valde evertit. Post diem VIII mensis Septembris anno MCMXLIII, delapso fascistarum regimine atque indutiis factis, foedera subversa sunt. Milites nazistarum Athesia Superiori potiti sunt statimque Angli et Americani pyrobolis vehementer percutere Bauzanum inceperunt. Coniuges Mayr-Nusser una cum filio Bauzano excesserunt et ad Ritanensem pagum v.d. *Collalbo* confugerunt. Gentes dictae *Dableiber*, ad copias confirmandas, Germanico ab exercitu coacte conscriptae sunt, sic die V mensis Septembris anno MCMXLIV Venerabilis Servus Dei militibus Turmae Praesidialis conscriptus est et ad oppidum v.d. *Könitz* iuxta Gedanum missus. Expleta militari institutione, omnia fere parata erant ut iuramentum Duci v.d. *Führer* novi milites facerent, tamen die IV mensis Octobris anno MCMXLIV, cum proludium exercerent, ipse coram omnibus se iurare nequire religiosis de causis declaravit. Deprehensus, omni modo temptaverunt et sollicitaverunt eum ut verba sua revocaret, sed ille hoc semper recusavit.

Qua re ad campum captivis custodiendis iuxta Dachaviam destinatus est, quo autem numquam pervenit. Etenim in hamaxostico onerario vel armentorum, quo Venerabilis Servus Dei una cum undequadraginta condemnatis de crimine capitali vectus erat, tales ac tantae fuerunt vexationes et tormenta, ut ille Erlangae die XXIV mensis Februarii anno MCMXLV morti occumberet. Die I mensis Martii eiusdem anni eodemque in oppido sepultus est.

Cum Bauzanum perveniret notitia mortis eius, die XI mensis Aprilis anno MCMXLV exsequialis missa celebrata est.

Sequentibus annis, Venerabilis Servi Dei memoria martyrii adhuc vivida servabatur. Quamobrem a die XXIV mensis Februarii anni MMVI ad diem VII mensis Februarii anni MMVII iuxta curiam Bauzanensem-Brixinensem Inquisitio Dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei XXIII mensis Aprilis anno MMX est approbata. Exarata Positione, die XI mensis Novembris anno MMXIV Consultorum Historicorum Consilium habitum est. Positivo cum exitu, die XXIX mensis Octobris anno MMXV Consultorum Theologorum Peculiaris Congressus actus est. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione congregati die XXI mensis Iunii anno MMXVI, agnoverunt Servum Dei Iosephum Mayr-Nusser ob eius fidem in Christum et in Ecclesiam obisse.

Demum Nos Ipsi die VIII mensis Iulii anno MMXVI facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super martyrio ederet et statuimus ut beatificationis ritus die XVIII mensis Martii anno MMXVII Bauzani celebraretur. Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Iosephum Mayr-Nusser adscribimus.

Nos, vota Fratris Nostri Ivonis Muser, Episcopi Bauzanensis-Brixinensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Iosephus Mayr-Nusser, laicus, paterfamilias, martyr, qui fidelis baptismatis promissionibus, Iesum Christum agnovit solum Dominum atque ipsius usque ad vitam offerendam fuit testis, Beati nomine in posterum appelletur atque die tertia mensis Octobris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clarus hic vir peculiarem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, inde insignia dedit pietatis atque martyrii testimonia. Dum illius excellentes conspicimus virtutes et navitatis incepta, ad altiorem usque in cotidiano itinere imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem sequendam invitamur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Martii, anno MMXVII, Pontificatus nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 416.152

III

Venerabili Dei Servo Iesu Aemilio Jaramillo Monsalve caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali» (*2 Cor* 4, 11).

Suae vocationi fidelis, quam usque personaliter cum Christo coniunctus adimplevit, Venerabilis Dei Servus Iesus Aemilius Jaramillo Monsalve mysterium crucis participavit et, suam tradens vitam, testatus est amorem in Ecclesiam et omne studium in fratrum salutem sibi commissorum.

In urbe Sancti Dominici Columbiae die XIV mensis Februarii anno MCMXVI natus est. Postridie baptismali aqua est ablutus. In familia opibus carente et divite fide simplici innataque, humanis christianisque virtutibus est institutus et a puero vocationis signa ad sacerdotium percepit, ita ut tredecim annos natus Seminarium Instituti Yarumalensis pro Missionibus ad Exteras Gentes ingrederetur. Cum institueretur plus plusque missionalem spiritum est adeptus. Itaque anno MCMXXXVI novitiatum incohavit. Die III mensis Decembris eiusdem anni vota nuncupavit. Sacerdotali ordine die I mensis Septembris anno MCMXL auctus est. Per paucos annos in paroecia Sabanalargae primum ministerium obivit, quia, laurea tandem in theologia adepta, ad curam institutionis culturalis spiritalisque Seminarii tironum est destinatus et rector quoque fuit Seminarii Instituti; interea, ut cappellanus feminarum carceris, opportunitatem habuit cum Sororibus Boni Pastoris cooperandi. Multum operae in praedicatione et spiritali moderatione ponens, tum a sacerdotibus tum a laicis est comprobatus. Anno MCMLIX Superior Generalis Instituti Yarumalensis pro Missionibus ad Exteras Gentes est electus. Die XI mensis Novembris anno MCMLXX nominatus est Episcopus Vicarius Vicariatus Apostolici Araucensis, qui ad gradum dioecesis anno MCMLXXXIV evectus est atque Venerabilis Dei Servus primus fuit eius Episcopus residentialis. Dioecesani fines ultra prolati sunt additis Planitiis Orientalibus et silva Sararensi, quod postulavit auctum opus pastorale Episcopi. Magnum studium suo ministerio tribuit, quod difficilibus in condicionibus explicatum

est, violentia et iniustitia prorsus denotatum, cum valentes deficerent Civitatis institutiones, oriebantur et multiplicabantur manipuli armati ideologia signati. Venerabilis Dei Servus fervens fuit Evangelii affirmandi apostolus, in provincia quippe iurium humanae dignitatis, potissimum pauperum. Veletudinarium "La Esmeralda" condidit et socialem operam studiose pro indigenis navavit. Hoc ipso in ambitu eius martyrium contigit. Politicae condiciones societatis Columbianae prae se ferebant actiones discriminantes et persecutiones adversum christianos et quotquot, variis ex causis, ad illos pertinentes. Agendi consuetudines contra Ecclesiam plus plusque multiplicabantur et perquam crudeliter manifestabantur, in structuras et personas conversae. Perculiarem in modum nonnulli politici motus, Marxiana doctrina imbuti, praesertim per autoproclamatum "Exercitum Liberationis Nationalis", veros terrores attulerunt. Venerabilis Dei Servus sibi prorsus conscius erat suam propter fidem suamque praedicationem se ad mortem destinari. Quaedam adversus eius famam sunt prolata; falso insimulatus est coniunctionis cum opprimentibus militibus, peculatus, ut coram populo aestimationem amitteret et capitis poena probaretur; at Christi amor et erga Ecclesiam fidelitas numquam in eo defecerunt. Cum cogeretur contra vim contendere inhumanae ideologiae atque conscius se Christum sequi velle in crucis via, coram carnificibus magnum animum ostendit et nullo modo cessit: firmissima fuit in corde eius Dei voluntati deditio. Die II mensis Octrobris anno MCMLXXXIX, cum quasdam paroecias inviseret, captus est et tortus. Usque ad extremum suo de grege sollicitus sibi commisso, postquam obtinuit ut sacerdotes ac laici eum comitantes liberarentur, crudeliter interemptus est. Ipsius vitae mores Christi imitationi sunt configurati: eum eius quoque in passione, usque ad summum sacrificium est imitatus. Eius exuviae, postridie inventae, post sollemnes exsequias in cathedrali Araucensi sunt depositae.

Martyrii fama Venerabilis Dei Servi in communitatem ecclesialem diffusa est, ideo a die II mensis Octobris anno MM ad diem XXIX mensis Iunii anno MMVI apud Curiam Araucensem Inquisitio dioecesana peracta est, cuius iuridicam validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum die XIV mensis Decembris anno MMVII editum. Positione comparata, die XI mensis Maii anno MMXVII Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum celebratus est, qui favens suffragium protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die IV mensis Iulii anno MMXVII agnoverunt praelaudatum Venerabilem Dei Servum propter fidelitatem erga Christum et Ecclesiam

esse necatum. Nos Ipsi die VII mensis Iulii eiusdem anni facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio evulgaret et statuimus quoque ut beatificationis ritus die VIII mensis Septembris anno MMXVII Vincentiopoli in Columbia ageretur.

Hodie igitur Vincentiopoli inter Missarum sollemnia Ipsi Nos in Beatorum catalogum referimus Venerabiles Dei Servos Iesum Aemilium Jaramillo Monsalve et Petrum Mariam Ramírez Ramos, pastores et martyres.

Nos acogiendo el deseo de nuestros hermanos Jaime Muñoz Pedroza, Obispo de Arauca, y Fabio Duque Jaramillo, O.F.M., Obispo de Garzón, así como de otros muchos hermanos en el Episcopado y de el numerosos fieles, después de haber escuchado el parecer de la Congregación de las Causas de los Santos, con Nuestra Autoridad Apostólica declaramos que los Venerables Siervos de Dios Jesús Emilio Jaramillo Monsalve, del Instituto de Misiones Estranjeras de Yarumal, Obispo de Arauca, y Pedro María Ramírez Ramos, Sacerdote diocesano, Párroco de Armero, mártires, que, come pastores según el corazón de Cristo y coherentes testigos del Evangelio, derramaron la sangre por amor a la grey que les fue confiada, de ahora en adelante sean llamados Beatos, y se prodrá celebrar su fiesta cada año, en los lugares y en el modo establecido por el Derecho, el 3 y el 24 de octubre respectivamente. En nombre del Padre y del Hijo y del Espíritu Santo.

Clarus hic Pastor et Martyr, vir sanctus qui Christum amavit in vita sua eumque imitatus est in morte, exemplum praebuit fidei tuendae in mundo usque ad finem itineris.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Vincentiopoli, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembris anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 381.112

IV

Venerabili Dei Servo Petro Mariae Ramírez Ramos caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mea ex parte pro Christo et eius in fide mori cupio. Excellentissimo Episcopo meum pergratum animum manifesto, quandoquidem sine meritis effecit ut Altissimi minister, Dei sacerdos et nunc Armerii parochus fierem, cuius pro populo meum sanguinem fundere volo. [...]. Omnes peculiari cum affectu ex caelo conspiciam ».

Haec fuerunt Venerabilis Dei Servi Petri Mariae Ramírez Ramos sacerdotis postrema verba, quae matutino ipso tempore protulit cum mortuus est, quoddam testamentum sic relinquens in quo iter suum manifestavit spiritale, suam cum Domino artam coniunctionem et ferventem caritatem pastoralem dum ostenderet, qua suo cum populo nectebatur.

In municipio Huila a La Plata, in Columbia, die XXIII mensis Octobris anno MDCCCXCIX natus est. Eius ampla familia propter consciam retentam fidem christianam eminebat, in qua Petrus puer est institutus. Post ludum litterarium absolutum Seminarium est ingressus, prorsus conscius ad sacerdotium se a Domino vocari. Cum institueretur, post aliquod tempus incertitudinis propter valetudinem, deposita dubitatione, curricula theologica est prosecutus atque die XXI mensis Iunii anno MCMXXXI presbyteralem ordinationem recepit. Inter prima ipsius munera primum numeratur officium alterius a parocho oppidi Chaparral, post parochi in oppidis Cunday, Fresno et Armero. Praestabilis eius fuit evangelizandi opus apud confusam dissimilemque gentem, facile mente laicorum pellectam, quae magis ac magis diffundebatur. Anno MCMXLVIII inceperunt tumultus ac motus, vera seditio, "Bogotazo" appellata, erupit, quae mox in veram religiosam persecutionem conversa est. Violentiae et horrores illo tempore evenerunt et complura crimina in odium fidei sunt patrata, quoniam in seditiosorum oculis Ecclesiae praesentia eorum propositis impedimentum habebatur. His rerum in adiunctis vices locantur Venerabilis Servi Dei. Armeri enim politicae contentiones ortae sunt quae totam Civitatem pervaserunt. Servi Dei occisionem dissensiones, religiosae violationes et contemptus praecesserunt,

quae populum metu afficerent et terrorem augerent. Ceterum, violenti Ecclesiam Catholicam criminabantur, cum eam putarent conservatorum consciam et seditionem aversantem, quoniam quietem, rationem suadebat et nullam violentiam adhibendam. Ceterum est dicendum duos alios sacerdotes, ab Episcopo ut parochos missos, pastorale munus illo in loco obeundum recusavisse. Venerabilis Servus Dei se voluntarie obtulit. Ipse die IX mensis Aprilis anno MCMXLVIII in illius oppidi valetudinario erat aegrotum invisens, cum Bogota primi nuntii deferentur occisionis cuiusdam politici viri liberalis et repentini impetus terrificae violentiae. Seditiosorum manipuli conati sunt eum aggredi, sed ipse in templum evasit. Sorores Mercedariae Eucharisticae proximi claustri ac nonnullae familiae auxilium ei praestiterunt, ut noctu fugeret, sed ille consilium protinus recusavit. Eius verba fuerunt: “Minime, Sorores. Meum bonum Dominum consului et ipse respondit ut manerem”! Postridie Venerabilis Servus Dei, ut solebat, summo mane missam celebravit, aegroto sacramentum reconciliationis in valetudinario ministravit et carcere detentos invisit. Ante meridiem postremas tabernaculi Hostias Sororibus tradidit, unam servans sibi. Conscius prorsus erat se martyrio obviam ire. Et revera post meridiem frequens liberalium manipulus templum et claustrum profanavit, requirens ut “arma abscondita traderentur”. Cum comperissent putata arma abesse, statuerunt contra parochum agere. Tandem captus inter contumelias et vexationes ad forum est delatus ubi, sine ulla accusatione ac iudicio, turbae est traditus fere mille hominum, inter quos quidam erant temulenti, qui eum necaverunt. Eius cadaver profanarunt, id relinquentes in quodam rivo, sine talari vestimento et sine conditorio in quo reponeretur; impediti sunt insuper religiosi ritus. Tantummodo postea autopsia est permissa necnon christiana congrua sepultura.

Martyrii fama Venerabilis Servi Dei diffusa est, ideo ab anno MCMXCIII ad diem IV mensis Novembris anno MCMXCVI apud Curiam Garzonensem Inquisitio dioecesana peracta est, cuius iuridicam validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum die I mensis Martii anno MMII editum. Positione comparata, die XXIV mensis Maii anno MMXVI Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum celebratus est, qui favens suffragium protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XX mensis Iunii anno MMXVII agnoverunt praelaudatum Venerabilem Dei Servum propter fidelitatem erga Christum et Ecclesiam esse necatum. Nos Ipsi die II mensis Iulii eiusdem anni facultatem fecimus ut Congregatio de

Causis Sanctorum Decretum de martyrio evulgaret et statuimus quoque ut beatificationis ritus die VIII mensis Septembris anno MMXVII Vincentiopoli in Columbia ageretur.

Hodie igitur Vincentiopoli inter Missarum sollemnia Ipsi Nos in Beatorum catalogum referimus Venerabiles Dei Servos Iesum Aemilium Jaramillo Monsalve et Petrum Mariam Ramírez Ramos, pastores et martyres, haec proferentes verba:

Nos acogiendo el deseo de nuestros hermanos Jaime Muñoz Pedroza, Obispo de Arauca, y Fabio Duque Jaramillo, O.F.M., Obispo de Garzón, así como de otros muchos hermanos en el Episcopado y de numerosos fieles, después de haber escuchado el parecer de la Congregación de las Causas de los Santos, con Nuestra Autoridad Apostólica declaramos que los Venerables Siervos de Dios Jesús Emilio Jaramillo Monsalve, del Instituto de Misiones Estranjeras de Yarumal, Obispo de Arauca, y Pedro María Ramírez Ramos, Sacerdote diocesano, Párroco de Armero, mártires, que, como pastores según el corazón de Cristo y coherentes testigos del Evangelio, derramaron la sangre por amor a la grey que les fue confiada, de ahora en adelante sean llamados Beatos, y se prodrá celebrar su fiesta cada año, en los lugares y en el modo establecido por el Derecho, el 3 y el 24 de octubre respectivamente. En nombre del Padre y del Hijo y del Espíritu Santo.

Dum veneramur sacerdotem Eucharistiam et Beatam Mariam Virginem valde colentem, fide ac fervore pastorali plenum, usque ad finem sollicitum de cunctis hominibus suae curae commissis ad veram fidem et devotionem conducendis, qui non haesitavit ad instar Christi pro grege suo sanguinem effundere, Patrem rogando ut interemptoribus dimitteret, una cum fideli populo intercessionem eius efflagitamus.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Vincentiopoli, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembris anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 383.294

V

Venerabilis Servis Dei Petro Luciano Claverie, O.P., Episcopo Oranensi, et XVIII Sociis, religiosi viris et mulieribus, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Melius est enim benefacientes, si velit voluntas Dei, pati quam malefacientes» (*1 Pe* 3, 17).

Venerabilis Servus Dei Petrus Lucianus Claverie, O.P., Episcopus Oranensis, et XVIII eius Socii, martyres ex archidioecesi Algeriensi, constituunt coetum qui patefacit divitem diversitatem charismatum religiosae vitae in Ecclesia simulque altam communionem in testificando dono vitae eorum pro Christo et Ecclesia.

1. Petrus Lucianus Claverie in Algeria die VIII mensis Maii anno MCMXXXVIII natus est de familia Francogallica a quinque generationibus in hac regione degenti. Viginti annos natus, in Francogallia Ordinem Fratrum Praedicatorum ingressus est. Post ordinationem presbyteralem anno MCMLXVII in Algeriam reversus est. Coepit Arabicum sermonem ediscere, propter quod bene acceptus erat in locali societate, etiam peculiari fruens dono amicitiae. Considerata quidem solida eius institutione theologica, Eminentissimus Dominus Leo Stephanus S.R.E. Cardinalis Duval, Archiepiscopus Metropolita Algeriensis, sua in ecclesiali communitate magni momenti munera ei commisit. Una cum Excellentissimo Domino Henrico Antonio Maria Teissier aliisque episcopis studuit theologicum sensum exprimere christianae praesentiae in Algeria, videlicet in regione Arabica et Musulmana. Die XXV mensis Maii anno MCMLXXXI a Ioanne Paulo II Episcopus Oranensis nominatus, huiusmodi opus prosecutus est suis scriptis et ab anno MCMLXXXVII in Pontificio Consilio pro Dialogo inter Religiones. Cum Algeria vexata esset bello intestino, incepto ultimo decennio superioris saeculi, is extremismum et vim adhibitam publice damnavit suumque sensum patefecit solidalem cum Algeriensibus civibus qui certabant ut ibi esset societas humana pluralis, non exclusiva. Sublimi vita spirituali etiam sodales suae communitatis obscuris temporibus sustinebat. Occisus est die I mensis Augusti anno MCMXCVI, una cum iuvene Algeriensi Musulmanae religionis, Mohamed Bouchikhi, qui cum eo altiore

iunctus erat amicitia. Sanguis eorum commixtus a multis Algeriensibus perceptus est uti signum sincerum vinculi ab Ecclesia selecti sortem suam cum hoc populo collegare.

Septem monachi ex Ordine Cisterciensium Strictioris Observantiae, id est Trappenses, de Tibhirine ostendunt alium vultum Ecclesiae, vocatae ad suam missionem vivendam in mundo musulmano, magna cum alterius reverentia. Sententia «Ora et labora» melius compendiat peculiares notas huius parvae monachorum communitatis, in collibus Atlantis constitutae. Hi religiosi viri, occisi die XXI mensis Maii anno MCMXCVI, sunt:

2. Pater Christianus de Chergé, natus Colmariae, in Francogallia, die XVIII mensis Ianuarii anno MCMXXXVII, presbyter ordinatus est Lutetiae Parisiorum die XXI mensis Martii anno MCMLXIV. Anno MCMLXIX novitiatum Trappensium monasterii Aquarum Bellarum ingressus est, sed corde iam in Algeria morabatur. Solida doctrina pollens theologica et islamica, MCMLXXXIV prior electus est monasterii loci Tibhirine.

3. Frater Lucas Dochier, natus est die XXXI mensis Ianuarii anno MCMXIV in oppido Bourg-de-Péage, in Francogallia. Anno MCMXLI Trappensium monasterium Aquarum Bellarum ingressus est ut frater conversus, ut inter pauperiores viveret suam vocationem de corpore eorum sed etiam de anima curam habens.

4. Pater Christophorus Lebreton, Blesis in Francogallia natus est die XI mensis Octobris anno MCML. Inter monachos Trappenses ingressus, die I mensis Ianuarii anno MCMXC presbyter est ordinatus.

5. Frater Paulus Favre-Miville, natus est in pago Vinzier, in Francogallia, die XVII mensis Aprilis anno MCMXXXIX. In Trappensium monasterium ingressus, hortulani opus navabat, cooperans cum proximis civibus, qui mysterium eius vitae prorsus Deo deditae perceperunt.

6. Frater Michaël Fleury, natus est die XXI mensis Maii anno MCMXLIV in oppido Sainte-Anne-sur-Brivet. Die XXVIII mensis Augusti anno MCMLXXXVI sollemnem professionem nuncupavit in monasterio loci Tibhirine.

7. Pater Bruno Lemarchand, natus est die I mensis Martii anno MCMXXX in pago Saint-Maixent. Anno MCMLVI presbyter ordinatus est. Deinde monachus Trappensis anno MCMLXXXI factus est.

8. Pater Caelestinus Ringeard, natus die xxix mensis Iulii anno mcmxxxiii Tolveiae in Francogallia, presbyter ordinatus est die xvii mensis Decembris anno mcmlx. Deinde monachus Trappensis anno mcmlxxxiii factus est.

Antea, die xxvii mensis Decembris anno mcmxciv, in urbe vulgo dicta Tizi-Ouzou necati sunt quattuor sodales Instituti Missionariorum Africae:

9. Pater Ioannes Chevillard, natus Iuliomagi Andecavorum, in Francogallia, die xxvii mensis Augusti anno mcmxxv, presbyter ordinatus est die i mensis Februarii anno mcml, actioni sociali deditus.

10. Pater Alanus Dieulangard, natus in oppido Sancti Brioci, in Francogallia, die xxi mensis Maii anno mcmxix, presbyter ordinatus die i mensis Februarii anno mcml, familias christianas et musulmanas actuose visitavit et sustinuit.

11. Pater Carolus Deckers, natus Antverpiae, in Belgio, die xxvi mensis Decembris anno mcmxxiv, presbyter ordinatus est die viii mensis Aprilis anno mcml.

12. Pater Christianus Chessel, iunior omnium, natus in oppido Digne-les-Bains, in Francogallia, die xxvii mensis Octobris anno mcmlviii, presbyter ordinatus est die xxviii mensis Iunii anno mcmxcii. Sedem praeparavit pro sustinendis studentibus musulmanis illius regionis, quae inchoata est post eius mortem.

Hi omnes studuerunt localem sermonem ediscere, ut sese institutioni iuvenum dedicare possent in scholis et sedibus formationis professionalis. Foventes inculturationem, ipsi maluerunt manere suis cum amicis Algeriensibus, qui etiam vexationes patiebantur a furente minori parte populi. Eorum ritus funebri permoverunt turbas ac siverunt inspicere quantum eorum studium solida vincula aestimationis et amicitiae constituerit, praeter culturae et religionis diversitatem.

Septem ceteri martyres pulchram charismatum varietatem Ecclesiae in Algeria illustrant.

13. Frater Henricus Vergés, natus in pago Matemale, in Francogallia, die xv mensis Iulii anno mcmxxx, Institutum Fratrum Maristarum a Scholis ingressus est.

14. Soror Paula Helena Saint-Raymond, nata Lutetiae Parisiorum die xxiv mensis Ianuarii anno mcmxxvii, ingressa est Congregationem Parvarum Sororum ab Assumptione BMV.

Ambo ministerium exercebant pro iuvenibus discipulis in populari vico Algerii. Fidei causa interfecti sunt die VIII mensis Maii anno MCMXCIV.

15. Soror Esther Paniagua Alonso, nata die VII mensis Iunii anno MCMXLIX in pago Izagre, in Hispania, ingressa est Institutum Sororum Augustinianarum Missionariarum. Infirmorum ministra fuit in publico valetudinario Algerii. Martyr occubuit die XXIII mensis Octobris anno MCMXCIV.

16. Soror Caritas Álvarez Martín, nata die IX mensis Maii anno MCMXXXIII in pago Santa Cruz de la Salceda, in Hispania, eiusdem ac Soror Esther Instituti sodalis, una cum ea eodem die necata est.

17. Soror Bibiana Leclercq, nata die VIII mensis Ianuarii anno MCMXXX in pago Gazeran in Francogallia, ingressa est Institutum Sororum Missionariarum a Domina Nostra Apostolorum. Occisa est die III mensis Septembris anno MCMXCV.

18. Soror Angela Maria Littlejohn, nata est Tunete die XXII mensis Novembris anno MCMXXXIII; eiusdem ac Soror Bibiana Instituti sodalis, una cum ea docuit in Sede institutionis puellarum Algerii in vico populari appellato Belcourt, ac eodem die necata est.

19. Soror Oda Prévost, nata die XVII mensis Iulii anno MCMXXXII in pago Oger, in Francogallia, ingressa est Institutum Parvarum Sororum a Sacro Corde, inspiratum vita et opera beati Caroli de Foucauld. Ipsa quoque huius beati vestigia secuta est, dum vicos musulmanos percurrebat, universalis fraternitatis vultum manifestans, et operam praestabat in Algeriensi dioecesana studiorum sede. Necata est fidei causa in urbe Kouba die X mensis Novembris anno MCMXCV.

Hi Servi Dei cuncti vitam dederunt ut parvis et humilibus servirent, amicitiae vincula contexentes cum musulmanis circumcolentibus.

Ob sanctitatis et martyrii Servorum Dei in communitate ecclesiali diffusam famam ab anno MMVII usque ad annum MMXII in archidioecesi Algeriensi Processus Informativus peractus est, cuius validitas a Congregatione de Causis Sanctorum approbata est per Decretum die XV mensis Februarii anno MMXIII datum. Positione apparata, die XXX mensis Maii anno MMXVII in Congressu Peculiari Consultores Theologi votum dederunt favorabile de martyrio Venerabilium Servorum Dei. Patres Cardinales et Episcopi, in Ses-

sione Ordinaria coadunati die XVI mensis Ianuarii anno MMXVIII, iudicarunt Servos Dei ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam interfectos esse. Nos Ipsi facultatem tribuimus Congregationi de Causis Sanctorum ut decretum super martyrio die XXVI mensis Ianuarii anno MMXVIII promulgaret. Insuper statuimus ut sollemnis ritus beatificationis Orani in Algeria die VIII mensis Decembris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur Orani de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Ioannes Angelus S.R.E. Cardinalis Becciu, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Petrum Lucianum Claverie, O.P., Episcopum Oranensem, et XVIII Socios, martyres, in Beatorum numerum adscribimus: Nos, vota Fratris Nostri Pauli Desfarges, S.I., Episcopi Algeriensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Lucianus Claverie, O.P., Episcopus Oranensis, et XVIII Socii, religiosi religiosaeque, martyres, fideles Evangelii praecones, humiles pacis auctores, insignes testes christianae caritatis, Beatorum nomine in posterum appellentur, atque die octava mensis Maii quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Decembris, in sollemnitate Conceptionis Immaculatae B.M.V., anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 438.178

EPISTULA

Ad presbyteros occasione CLX anniversarii mortis sancti Curionis de Ars.

A mis hermanos presbíteros

Queridos hermanos:

recordamos los 160 años de la muerte del santo Cura de Ars a quien Pío XI presentó como patrono para todos los párrocos del mundo.[1] En su fiesta quiero escribirles esta carta, no sólo a los párrocos sino también a todos Ustedes hermanos presbíteros que sin hacer ruido "lo dejan todo" para estar empeñados en el día a día de vuestras comunidades. A Ustedes que, como el Cura de Ars, trabajan en la "trinchera", llevan sobre sus espaldas el peso del día y del calor (cf. *Mt* 20, 12) y, expuestos a un sinfín de situaciones, "dan la cara" cotidianamente y sin darse tanta importancia, a fin de que el Pueblo de Dios esté cuidado y acompañado. Me dirijo a cada uno de Ustedes que, tantas veces, de manera desapercibida y sacrificada, en el cansancio o la fatiga, la enfermedad o la desolación, asumen la misión como servicio a Dios y a su gente e, incluso con todas las dificultades del camino, escriben las páginas más hermosas de la vida sacerdotal.

Hace un tiempo manifestaba a los obispos italianos la preocupación de que, en no pocas regiones, nuestros sacerdotes se sienten ridiculizados y "culpabilizados" por crímenes que no cometieron y les decía que ellos necesitan encontrar en su obispo la figura del hermano mayor y el padre que los aliente en estos tiempos difíciles, los estimule y sostenga en el camino.[2]

Como hermano mayor y padre también quiero estar cerca, en primer lugar para *agradecerles* en nombre del santo Pueblo fiel de Dios todo lo que recibe de Ustedes y, a su vez, *animarlos* a renovar esas palabras que el Señor pronunció con tanta ternura el día de nuestra ordenación y consti-

[1] Carta ap. *Anno Iubilari: AAS* 21 (1929), 313.

[2] Conferencia Episcopal Italiana (20 mayo 2019). La paternidad espiritual que impulsa al Obispo a no dejar huérfanos a sus presbíteros, y se puede "palpar" no sólo en la capacidad que estos tengan de tener abiertas sus puertas para todos sus curas sino en ir a buscarlos para cuidar y acompañar.

tuyen la fuente de nuestra alegría: «Ya no los llamo siervos..., yo los llamo amigos» (*Jn* 15, 15).[3]

DOLOR

«He visto la aflicción de mi pueblo» (*Ex* 3, 7).

En estos últimos tiempos hemos podido oír con mayor claridad el grito, tantas veces silencioso y silenciado, de hermanos nuestros, víctimas de abuso de poder, conciencia y sexual por parte de ministros ordenados. Sin lugar a dudas es un tiempo de sufrimiento en la vida de las víctimas que padecieron las diferentes formas de abusos; también para sus familias y para todo el Pueblo de Dios.

Como Ustedes saben estamos firmemente comprometidos con la puesta en marcha de las reformas necesarias para impulsar, desde la raíz, una cultura basada en el cuidado pastoral de manera tal que la cultura del abuso no encuentre espacio para desarrollarse y, menos aún, perpetuarse. No es tarea fácil y de corto plazo, reclama el compromiso de todos. Si en el pasado la omisión pudo transformarse en una forma de respuesta, hoy queremos que la conversión, la transparencia, la sinceridad y solidaridad con las víctimas se convierta en nuestro modo de hacer la historia y nos ayude a estar más atentos ante todo sufrimiento humano.[4]

Este dolor no es indiferente tampoco a los presbíteros. Así lo pude constatar en las diferentes visitas pastorales tanto en mi diócesis como en otras donde tuve la oportunidad de mantener encuentros y charlas personales con sacerdotes. Muchos de ellos me manifestaron su indignación por lo sucedido, y también cierta impotencia, ya que además del «desgaste por la entrega han vivido el daño que provoca la sospecha y el cuestionamiento, que en algunos o muchos pudo haber introducido la duda, el miedo y la desconfianza».[5] Numerosas son las cartas de sacerdotes que comparten este sentir. Por otra parte, consuela encontrar pastores que, al constatar y conocer el dolor sufriente de las víctimas y del Pueblo de Dios, se movilizan, buscan palabras y caminos de esperanza.

[3] Cf. S. Juan XXIII, Carta enc. *Sacerdotii nostri primordia*, en el I centenario del tránsito del santo Cura de Ars (1 agosto 1959).

[4] Cf. *Carta al Pueblo de Dios* (20 agosto 2018).

[5] *Encuentro con los sacerdotes, religiosos/as, consagrados/as y seminaristas,* Santiago de Chile (16 enero 2018).

Sin negar y repudiar el daño causado por algunos hermanos nuestros sería injusto no reconocer a tantos sacerdotes que, de manera constante y honesta, entregan todo lo que son y tienen por el bien de los demás (cf. *2 Co* 12, 15) y llevan adelante una paternidad espiritual capaz de llorar con los que lloran; son innumerables los sacerdotes que hacen de su vida una obra de misericordia en regiones o situaciones tantas veces inhóspitas, alejadas o abandonadas incluso a riesgo de la propia vida. Reconozco y agradezco vuestro valiente y constante ejemplo que, en momentos de turbulencia, vergüenza y dolor, nos manifiesta que Ustedes siguen jugándose con alegría por el Evangelio.[6]

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Eleonorae a Sancta Maria (in saeculo: Isorae Mariae Ocampo), Monialis professae Ordinis Sancti Dominici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GULUENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Norberti (in saeculo: Ioannes McAuliffe), Fratris professi Instituti Fratrum a Sacro Corde (1886-1959)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«[Iesus] duos nobis tradit vultus, vel potius unum, scilicet Dei qui in multos refertur. Quoniam in unoquoque fratre, potissimum in magis parvulo, debili, intuto et indigenti, ipsa Dei imago adest» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Gaudete et exsultate*, 61).

Quaerens vultum Domini in humillimis fratribus totam vitam egit Servus Dei Norbertus (in saeculo: Ioannes McAuliffe), extraordinarius institutor ministerio pro evangelizatione et humana promotione plene deditus.

Servus Dei in vico v.d. *Manhattan* Novi Eboraci die 30 mensis Septembris anno 1886 est ortus. Pater eius Daniel, Hibernus origine, magis quam triginta annos ante in Foederatas Civitates Americae Septentrionalis se transtulerat. Mater Ioannis secunda erat uxor Danielis et illi quinque donavit filios, qui ad alium puerum e praecedenti coniugio natum accesserunt. Servus Dei baptismum accepit die 7 sequentis mensis Novembris. Paucos post annos tamen parentes e vita excesserunt, biennio unus ab altera, ita ut Ioannes et alius parvus frater orphanotrophio Sororum Dominicanarum in loco *Sparkill* usi sunt.

Haec nova condicio vim habuit super indolem eius, fovens in illo vivam sui muneris conscientiam et praecipue eucharistica in spiritualitate excolens eum. Interdum Servus Dei signa vocationis ad consecratam vitam percepit et anno 1902 Institutum Fratrum Sacri Cordis ingressus est. Admissus in domum novitiatus urbis *Metuchensis*, in Statu Novocaesariensi, adhuc exstruendam, prima emisit vota anno 1903: illo tempore nomen sumpsit Norbertum.

Familia religiosa naturam habebat laicalem: qua propter, illis historicis adiunctis, Servus Dei institutionalia theologica studia non explicavit, sed immediate ad opera educativa et didactica destinatus est. Iter eius signatum est a scholastica experientia, quam is semper honoravit, praeparationem curans congruentibus, professionalibus titulis. Die 10 mensis Iulii anno 1910 professionem emisit perpetuam. Scholae in territoriis civitatum Indianae,

Missisipiae, Ludovicianae et Oclahomae viderunt eum zelo et ingenti erga discipulos amore operantem, qui sine intermissione non tantum eruditionem, sed etiam et praecipue divini Magistri imitationem proponebat.

Anno 1931 Servus Dei petivit particeps fieri missionis quae inchoanda erat in Africa. Post primam recusationem, superiores assensi sunt postulationi et ei mandaverunt regendam parvam communitatem fratrum in septentrionali regione Ugandae, illo tempore in tutela Britannicae auctoritatis. Anno 1931 Servus Dei una cum confratribus pervenit in urbem Guluensem, sedem Apostolicae Praefecturae a Missionariis Combonianis Cordis Iesu rectae: hic mansit usque ad mortem, praeter tempus secundi mundani belli, quod impulit et interclusit eum intra fines Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis.

In missione alacer fautor evasit tum in schola tum in societate. Postea nominatus generalis moderator Instituti in Africa orientali et sub regimine eius communitas non mediocriter crevit. Norbertus etiam magister novitiorum fuit et eos sollicitudine ac paterno curavit amore.

Amans Deum et incumbens in ministerium, frater Norbertus semper manifestavit liberalitatem erga proximum in litterarum ludis et communitatis nexu itemque erga eos qui ei occurrebant. Erant illi magnum robur et extraordinaria facultas omnes accipiendi, adultos ac infantes, ignorantes ac doctos, pauperes ac divites. Quotidiana in vita mirabiliter iungebat fecundam actuositatem cum intima experientia precationis, assidue quaerens voluntatem Dei.

Fortiter et constanter, certum et aequum propositum educandi effecit. Eius vivendi forma virtuosa evasit, quam ipse ex indole dulci ac serena, et praecipue ex probata et sedula communione cum Corde Iesu traxit. Praesertim, in paupere ac incommoda regione Africana, respondit voci Domini priusquam hominum quae eum ad actuositatem sollicitabat.

Die 3 mensis Iulii anno 1959 in loco *Alokolum*, in Uganda, Servus Dei fecundam vitam explevit. Ugandenses gentes omnes accurrerunt ad funus et sic patefecerunt conscientiam "sanctum obiisse".

Hac vigente sanctitatis fama, a die 16 mensis Iunii ad diem 13 mensis Iulii anno 1994 apud Curiam ecclesiasticam Guluensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 9 mensis Iunii anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus

Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 23 mensis Iunii anno 2015 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati die 8 mensis Maii anno 2018, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Norberti (in saeculo: Ioannis McAuliffe), Fratris professi Instituti Fratrum a Sacro Corde, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Franciscae a Vulneribus Iesu (in saeculo: Columbae Antoniae Martí y Valls), Monialis professae II Ordinis Sancti Francisci Monasterii Divinae Providentiae Civitatis Betuloniae (1860-1899)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Livore eius sanati sumus» (*Is* 53, 5).

Extraordinaria amoris experientia, ab Isaia propheta in Messia crucifixo praeanuntiata, in corde Servae Dei Franciscae a Vulneribus Iesu (in saeculo: Columbae Antoniae Martí y Valls) resonavit. Mulier spei generosa navitate omnem mediocritatem vicit et vestigia divini Sponsi fidenter ac constanter percurrit evangelicam perfectionem adtingens.

Serva Dei Badalonae prope Barcinonem die 26 mensis Iunii anno 1860 nata est, apud sacrum fontem ei nomina Columbae Antoniae indita sunt. Humilis ac religiosissimae familiae tertia fuit ex septem filiis, quorum quattuor ante tempus mortui sunt. Sua in infantia secundum principia et mores christianos est instituta, maxime spiritus orationis et caritatis in ea iam a primis vitae annis floruerunt. Collegium Divinae Providentiae natali in oppido deinde Sororum Franciscanarum frequentavit atque eius institutio docilitate, modestia et spiritu auxilii eminuit. Sic ab omnibus valde aestimata est tam inter docentes et alumnas quam inter sacerdotes et episcopum.

Sacram confirmationem quarto anno aetatis suae acceperat et fere ad primam adulescentiam sacram ad mensam primitus accessit, id deliberationem confirmavit sese prorsus Domino dedendi, hoc desiderium absolutae suae consecrationis Deo corroboravit. Eius spiritualis moderator concessit ut crebrissime sanctam Eucharistiam ea acciperet, quod illo tempore ullo modo in usu erat. Cum vellet soror fieri, tamen pater eius contrarius fuit, sed adulta aetate Serva Dei ad effectum perducere potuit propositum suum uti clarissa monasterium Divinae Providentiae ingrediens. Die 3 mensis Octobris anno 1883 religiosa vota professa est nomen Francisca a Vulneribus Iesu suscipiens.

Etiam in hac nova vitae aetate eius spiritale propositum constans fuit et in sorores summa in benedictione redundavit. Singulari modo magnum spiritum caritaris ostendit multiplicibus in muneribus, quibus functa est, scilicet docentis, correctricis, adiutricis in cubiculo valetudinario, vicariae in

choro, sacrarum custodis necnon magistrae noviciarum. Etiam extra communitatis moenia Serva Dei valde aestimata erat maxime a sacerdotibus et religiosis viris, qui eam censebant verum exemplum consecratae vitae. Spiritualia etiam accepit dona.

Universa eius exsistentia profundissima fide, commendatione providentibus Domini in manibus, amore erga egenos ac ministerio sua pro communitate omnino signata est. Serva Dei exemplariter in vita se gessit, aequa fuit natura, suavi more, extraordinaria ratione virtutes christianas exercuit. Fidelis suis in officiis, se obtulit pro ministerio erga suas consorores summa navitate omnia munera perficiendo. Etiam in aerumnis vim ac animum quaesivit in oratione, in eucharistica spiritualitate et in quadam singulari pietate in Beatam Virginem. Umquam animo cessit et serena prudentia omnia invenit ad singulam quaestionem solvendam. Eius amor erga Deum et erga proximum plenus erat, sincerus et sine exceptionibus, excitatus profundissimo desiderio perfectionis, coniuncto cum sensu humilitatis, summa reverentia omnes erga personas et constanti spiritu deditionis, maxime erga consorores, quas generose et benevole dilexit.

Alia eximia indoles, nom secundaria, eius spiritualitatis fuit spiritus mortificationis et reparationis, quae in ea favit intimae communioni Christi crucifixi cum plagis.

Francisca a Vulneribus Iesu mortua est die 4 mensis Iunii anno 1899. Fama sanctitatis, quae eam in vitam comitata est, post mortem permansit, quamvis eius sepulcrum patens haud esset, quia in ecclesia monasterii clausurae situm erat. Huius famae singularis casus evenit cum, exardente civili bello (1936-1939), milites rei publicae monasterium ingrederentur multaque sepulcra profanarent tamen illud Servae Dei non tetigerunt, quod sepulcrum sanctae considerabant.

Considerata fama santitatis, ab anno 1925 ad annum 1929 iuxta Curiam ecclesiasticam Barcinonensem Processus Ordinarius Informativus celebratus est, quem ab anno 1957 ad annum 1960 Processus Apostolicus secutus est, quorum iuridica validitas per decretum diei 29 mensis Octobris anno 1969 ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est approbata. Parata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Fausto cum exitu, die 7 mensis Novembris anno 2013 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum est habitus. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione diei 24 mensis Aprilis

anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Franciscae a Vulneribus Iesu (in saeculo: Columbae Antoniae Martí y Valls), Monialis professae II Ordinis Sancti Francisci Monasterii Divinae Providentiae Civitatis Betuloniae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VICENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Petri Uccelli, Sacerdotis professi Piae Societatis Sancti Francisci Xaverii pro Exteris Missionibus (v.d. Missionari Saveriani) (1874-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Fide vivamus, scilicet Evangelium legamus et explicemus, Dominum deprecantes ut nobis donet intellegendi vim ad illud cognoscendum et gratiam ad illud adhibendum».

Haec creberrima cogitatio, quam viva vox Servi Dei Petri Uccelli proponebat, bene paucis describit propositum vitae et sanctitatis eius: perlucidum iter ab initio usque ad finem, a lumine fidei rectum et in extraordinariam caritatis rationem effusum.

Servus Dei die 10 mensis Martii anno 1874 in pago v.d. *Barco* apud Regium in Aemilia natus est et eodem die baptismum recepit. Pauperrima condicio familiae eius ultra signata fuit a praecoci matris morte, cum Petrus adhuc puerulus erat. Pater, post novas nuptias, denuo uxorem amisit. Hi dolorosi eventus in indolem Petri vim habuerunt et fecerunt eum molliore animo erga afflictionem ac diligentem ad necessitates egenorum. Perceptis ab infantia signis vocationis ad sacerdotale ministerium, in dioecesano seminario se paravit et die 18 mensis Septembris anno 1897 presbyter ordinatus est.

Pastorale ministerium incipit in tribus diversis paroeciis: primum in pago Sancti Terentiani Curviaci, deinde ut archipresbyter-vicarius foraneus Pioli et postremo, anno 1902, capellanus Povilii. Usque ab initio emerserunt virtutes quae semper comitatae sunt vitam eius. In primis humilitas et aliae propensiones quae ab illa emanare videntur: paupertas, absoluta gratuitas, viva perceptio praesentiae Dei, vita ascetica, amplectens etiam corporalem poenitentiam ut sineret Iesum humana vitia devincere.

Mense Octobri anno 1900 Parmae conferentiam de Sinensibus martyribus participavit et clarum "desiderium-officium" Sinas petendi percepit, ad evangelizationem pergendam et forte sanguinem suum pro Christo effundendum. Quamobrem licentiam petivit a Parmensi episcopo Vidone Maria Conforti, hodie sancto, qui fundaverat institutum proprie missionarium, v.d.

Missionari Saveriani, ad operam evangelizationis explicandam, praesertim extremo in Oriente. Sic Petrus in novum Institutum intravit et, paulo post annum formationis, anno 1906 Sinas petivit.

Magna fuit eius navitas in illa ingenti regione expleta: Servus Dei ut debitor appropinquavit populo, illius animum intellegere conatus est, eius rationem vestiendi, manducandi, dormiendi est imitatus et ad illum plena humana necessitudine accessit. Praecipue exquisivit in illis *semina Verbi,* magni probans quod bonum est in illo culturali patrimonio. Etiamsi vehementer apostolicam actuositatem exercebat, Petrus numquam precationem, meditationem et assiduum studium Verbi Dei neglexit.

Reversus in Italiam ut alios missionarios formaret, Fundator destinavit eum Vicentinae communitati, ubi usque ad extremam vitae diem manebit. Hic maius reddidit officium, perseverans in missionaria experientia. Cum discipulis suis, quos tenere diligebat, multos pauperes, derelictos, dolentes, infirmos curavit. Expetitus est a durissimis peccatoribus, quoniam exemplum eius trahebat ad bonum et extraordinarium testimonium erat vitae plene consummatae pro Deo et proximo. Continua precatio et liberalitas in alios recipiendos viventem rerum veritatem coram oculis omnium constituit.

Homo simplex et iucundus, Servus Dei missionariam sollicitudinem clare perceperat usque ab initio ministerii sui. Liber paroecialis die presbyteralis ordinationis eius notat: «Die 19 mensis Septembris [anno 1897] primum celebrat Missam reverendus dominus Petrus Uccelli, qui iam nunc magnam manifestat voluntatem usque in Sinas volandi ad animas quaerendas». Petrus perlucide idoneus erat ad fratrum postulata audienda et, variis in locis ubi vixit, signum exstitit constans quoad spiritualem fervorem et socialia incrementa. Certo consilio ac audacia ad apostolicum propositum se dedit, ita ut secum traheret frequentes liberales animas, quas firma doctrina ac praecipue credibili personali testimonio duxit. Paulinum principium "caritas aedificat" (*I Cor* 8, 1) totius vitae eius fuit praecipua sententia: semper ipse conatus est fecunde agere fovens condicionem benignae acceptionis, solidarietatis et communionis. Fides eius viva in Christum qui eum incolit, adiuvavit eum ad serene et pacifice vivendum, etiamsi haud intellectus erat a nonnullis confratribus. Labores et corporis ac animi dolores numquam spiritum eius fregerunt, quoniam

in his rebus lumen humani eventus Dei homo facti inspexit. Iesum agnoscens in illis qui Deus ei crediderat, angustiis ac humanis difficultatibus benevole proximus fuit.

Servus Dei nolebat omnium oculos ad se convertere, sed ad Christum, quamobrem firmas devotiones commendabat, quae validum christianum progressum foverent et simul traditioni fideles se demonstrarent: Eucharistiae, Virgini Mariae, sancto Ioseph, cuius Servus Dei impiger fiet fautor, cultum eius diffundens.

Petrus Uccelli fecundum tempus terrestre die 29 mensis Octobris anno 1954 Vicetiae clausit. Maeror civitatis et accursus ad corpus eius exanime ingentis multitudinis aperte patefecerunt sanctitatis famam quae eum circumdabat. Funus vere fuit triumphum, cui omnes civiles ac religiosae auctoritates interfuerunt, sed praesertim ultimi et segregati, "illi qui longe erant a Deo", qui cordi sacerdotali Servi Dei privilegiatum praecipium obiectum constituebant.

Sanctitatis famae causa, a die 3 mensis Decembris anno 1997 ad diem 19 mensis Martii anno 2001 prope Curiam ecclesiasticam Vicentinam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 5 mensis Aprilis anno 2002 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 14 mensis Septembris anno 2017 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, die 8 mensis Maii anno 2018, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Uccelli, Sacerdotis professi Piae Societatis Sancti Francisci Xaverii pro Exteris Missionibus (v.d. Missionari Saveriani), in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTAE ROSAE DE OSOS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Michaëlis Angeli Builes, Episcopi Sanctae Rosae de Osos, Fundatoris variarum Congregationum (1888-1971)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Evangelii gaudium [...] semper possidet alacrem motum exodi et doni, exeundi e se ipso, procedendi et seminandi usque denuo, usque ultra» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Evangelii gaudium*, 21).

Haec verba Papae Francisci, quae christianum apostolatum describunt, iter et spiritualitatem Servi Dei Michaëlis Angeli Builes illustrant. Ille, gratia et fortitudine Domini ductus, vitam transfiguravit in amoris oblationem pro fratribus, testis credibilis factus illius Evangelii cui serviit quodque nuntiavit.

Servus Dei in loco v.d. *Donmatías*, in Columbia, die 9 mensis Septembris anno 1888 est natus. Tres post dies baptismum recepit. Secundus e novem filiis, christiane institutus est in familia quae oeconomice exigua et religiose probata erat. Post aliquot annos familia se transtulit rure in urbem. Ibi Servus Dei ludus frequentare incepit, sed, exorto civili bello s.d. "mille dierum", ordinarium iter formativum relinquere debuit.

Anno 1897, Primae Communionis die, Michaël Angelus fortiter vocationem ad sacerdotium percepit: itaque, parocho adiuvante, studia resumpsit, sed auxilium suis in agrorum operis non intermisit. Duodeviginti annos natus seminarium ingressus est et, decursu formativo expleto, die 29 mensis Novembris anno 1914 sacerdos est ordinatus.

Initiale ministerium fuit vicarii paroecialis in variis incommodis regionibus: *Valdivia*, *Santa Isabel* et *El Tigre*. Haec loca pauperrima erant et immo incerta propter conspicuam morum depravationem populi, destituti per annos sine ulla pastorali cura. Similem condicionem Servus Dei in pago *Nuestra Señora de los Remedios* invenit, postrema mansione suorum locorum mutationum, ubi multi servi Africani adstabant metalla exercentes. Coram ampla rerum condicione, Michaël Angelus magno cum zelo in pastoralem actuositatem incubuit, etiam in gravi valetudinis discrimine.

Anno 1924 episcopus nominatus est Sanctae Rosae de Osos, dioecesis quae, instituta paucis annis ante, amplissimos habebat fines. Episcopatus eius per quadraginta annorum spatium producetur et singulari cura pau-

perum ac segregatorum, impigro labore erga populum, particulari studio pro sacerdotibus et pastoralibus operatoribus, plena abnegatione in Regni famulatu excellet.

Etiam per pastorales epistulas, praecipuas quaestiones dioecesis denuntiavit, tum sociales tum potissimum spirituales moralesque: exempli gratia alcoholismus, qui erat authenticum vulnus, divulgatio cogitationum ac morum adversus religionem christianam, praesentia francomurariorum et communistarum qui magis magisque Columbianam in societatem penetrabant. Etiam ob hanc rem, scholarum institutioni favit, catechesim excoluit, sacras peregrinationes excitavit, multas Congregationes religiosas incepit. Domi notus est ut *Episcopus Missionarius Columbiae*, id est vera indoles eius. Postremas Concilii Vaticani II sessiones participavit.

Servus Dei, annis in seminario institutionis, magna cum delectatione librum s. Teresiae a Iesu Infante *Historia cuiusdam animae* legerat, quod profundum tulerat effectum in spirituali itinere eius. Clare in vitae ratione desiderium sequelae Iesu Christi per sacerdotalem spiritualitatem eminet. Imitatio haec evenit viva ac personalis imago salvificae praesentiae «Illius qui ut ministraret venit», communicatio animi affectuum et electionum Domini pro fratribus. Fervens amor erga eucharisticum mysterium et filialis devotio erga Virginem Mariam certe in corde eius propositum oblivionis sui et famulatum proximi contulerunt. Modus simpliciter vivendi, evangelica caritate et insigni cura pauperum eminuit. Multi fuerunt qui in eo verum magistrum, amicum, virtutum humanarum ac christianarum fidelem testem invenierunt, praesertim illo politicarum socialiumque contentionum tempore.

Michaël Angelus Builes intimam cum Deo communionem habuit, quae probabat et sustinebat vehementem apostolicam eius actuositatem. Opera pastoralis illi fons gaudii evasit, sed etiam interioris doloris ob inexplicabilem animi frigiditatem magnae partis populi. In christiana perfectione quaerenda numquam animo cecidit et immo omnia in gratiae opportunitatem ad semper maiorem assensum voluntati Dei est interpretatus.

Infirmitatis longum tempus significavit extremos annos vitae eius. Servus Dei Medellii die 29 mensis Septembris anno 1971 pie in Domino obdormivit, quod est dies festus Sancti Michaëlis patroni eius.

Ob sanctitatis famam a die 29 mensis Septembris anno 2001 ad diem 29 mensis Septembris anno 2004 prope Curiam ecclesiasticam Sanctae Rosae

de Osos celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 19 mensis Ianuarii anno 2007 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 6 mensis Decembris anno 2016 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, die 24 mensis Aprilis anno 2018, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Michaëlis Angeli Builes, Episcopi Sanctae Rosae de Osos et Fundatoris variarum Congregationum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii, a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VINDOBONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Angelae Mariae a Corde Iesu (in saeculo: Mariae Caeciliae Autsch) e Congregatione Sororum Ss. Trinitatis (1900-1944)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Fides non modo Iesum contuetur, sed ex parte Iesu, eius oculis, contuetur: ipsius rationis videndi est participatio» (Franciscus, *Lumen fidei*, 18).

Serena perseverantia Serva Dei Angela Maria a Corde Iesu (in saeculo: Maria Caecilia Autsch) in vitam traduxit hanc intuitionem a Francisco Pontifice propositam, scilicet vere oculos suos in Iesum defixit, passionem eius pro mundo participavit fratresque Salvatoris eodem Corde dilexit.

Serva Dei Germanico in vico v.d. *Röllecken* die 26 mensis Martii anno 1900 nata, duos post dies sacrum ad fontem est lustrata. Quinta fuit septem filiorum, pueritiam in familia egit, a qua in humanitate et christianis moribus bene instituta est. Anno 1912 primitus ad sacram mensam accessit et deinde accepit confirmationem.

Ludis litterariis expletis, discipula fuit et institrix apud opificium textile, ibique optimum exemplum comitatis ac artis diligentissimae peritiae praebuit.

Anno 1930 operam reliquit et se transtulit primum Hagenam deinde in oppidum *Heinsberg*, ubi fratres eius habitabant. Hoc tempore suam religiosam vocationem maturavit sub moderamine parochi. Anno 1933 ingressa est communitatem Sororum SS. Trinitatis de Valentia in pago v. *Mötz*, sequenti anno novitiatum explevit et anno 1935 primam religiosam professionem edidit. Varia munera ei commissa sunt: curavit enim puerorum in asylis institutionem, direxit cursus artis acu pingendi pro puellis et adulescentibus mulieribus constitutos, infirmis assedit et interdum nonnullas rusticas operas exercuit.

Illo tempore in Hispania illae contentiones sociales iam accrescebant, quae ad dirum illud bellum civile inter annum 1936 et annum 1939 exarserunt, quod admodum difficiles relationes communitatis cum Valentina domu reddebat. Serva Dei una cum duobus consororibus missa est in pagum *Gnadenwald*, sed paulo post rediit pagum Mötz. Die 28 mensis Septembris anno 1938 perpetua vota emisit, nomen Angelam Mariam a Corde Iesu suscipiens.

Ipsa in Germania condicio politica admodum incerta et turbulenta facta est, tam ob violentas intemperantias regiminis Nazistarum, quam ob secundi belli totius mundi inceptum. Illis contentiosis in adiunctis Soror Angela, interea oeconoma facta, admodum curavit ne monasterium *Mötz* confiscaretur; ad hoc sententiam sustinuit de Hispanica aedificii proprietate.

Deinde a *Gestapo*, scilicet a Germanica secreta publicorum custodum formatione, deprehensa, postquam critice reprehendisset politicam Adolfi Hitler, hac re Oenipontino in carcere reclusa et postea sine ullo nec ficto quidem processu traducta est in campum ad captivos custodiendos, primum in *Ravensbrück* deinde in *Auschwitz* et denique in *Birkenau*; illis difficillimis in adiunctis operam dedit ut coqua et ut infirmorum ministra atque fidei humanitatisque testimonium illo etiam tempore obscuro perhibuit.

«Monialis exemplaris erat tam in oratione et coenobitica vita quam in operibus domesticis et communitatis. [...] Contemplativa in vita et coenobitica ad meliora semper agebat»: verba haec, a quodam teste relata, bene compendiant Servae Dei cotidianam rationem vitae. Eius humanae dotes, christianae virtutes necnon vitae consecratae insignia clare praestant eius in itinere.

Serva Dei ferventis orationis ac navae industriae vitam egit. Eius vitae ratio humilitate, paupertate, spiritu mortificationis, austeritatis ac castitatis significabatur. Eius caritas erga proximum, comitate et humanitate ditata, ab omnibus statim percepta est. Soror Angela ad heroicum exercitium virtutum pervenit maxime diris adiunctis persecutionis contingentibus, quibus ipsa est subiecta: numquam eius in labiis audiebantur verba vituperationis, sed semper et tantum ignoscentiae et amoris erga ipsum inimicum, quod quidem a multis hominibus christianam fidem haud profitentibus vel ab Ecclesia disiunctis et etiam ab ipsis carceris custodibus existimatum est. Naturalis eius laetitia in fide posita erat et in firmissima spe etiam in gravissimis difficultatibus eiusque ampla confirmatio voluntatis, ad evangelicam perfectionem semper directae, fuerunt continua pugnatio ad quasdam eius indolis asperitates expoliendas.

Crucis mysterium in spirituali ambitu eius vitae semper adfuit et evasit quidem fere promptitudo ad martyrium. Mulier fuit fortis, quae e peculiari devotione ad Cor Iesu didicit mansuetudinem et suavitatem erga omnes, aggressa est etiam adversationes et dolores, quos omnes sustulit humilitate ac fiducia in Dei providenti voluntate. Sollicitationes ad religiosam vitam

relinquendam ut se cum militibus auxiliaribus coniungeret successerunt in minarum saevitiam, temptatu eius religiosam fidem frangendi; sed neuter valuit eam flectere ut ea in campo ad captivos custodiendos mori maluit quam religiosam vitam relinquere.

Prompta usque ad martyrium, Soror Angela in campo captivis custodiendis *Birkenau* die 23 mensis Decembris anno 1944 pyrobolorum coniectione intercurrente, ob occlusionem cordis arteriae mortua est.

Fama sanctitatis perdurante, a die 8 mensis Martii anno 1990 ad diem 26 mensis Martii anno 1992 apud Curias ecclesiasticas Vindobonensem et Paderbornensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cui a die 28 mensis Ianuarii anno 1998 ad diem 30 mensis Martii anno 2000 Inquisitio Suppletiva successit, quarum omnium per Decretum diei 20 mensis Martii anno 2009 ab hac Congregatione de Causis Sanctorum editum iuridica validitas est approbata. Exarata *Positione,* consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 18 mensis Octobris anno 2016 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione diei 8 mensis Maii anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Angelae Mariae a Corde Iesu (in saeculo: Mariae Caeciliae Autsch), e Congregatione Sororum Ss. Trinitatis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pii Dellepiane (in religione: Pii Stanislai), Sacerdotis professi Ordinis Minimorum (1904-1976)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Fides in Christo nos salvat, quia in Eo vita funditus ad Amorem aperitur, qui nos antecedit et intrinsecus nos commutat, qui in nobis ac nobiscum agit » (Franciscus, Litterae Encyclicae *Lumen fidei*, 20).

Haud dubio congruens est cum hac cogitatione Papae Francisci indoles spiritualis Servi Dei Pii Dellepiane, qui constanter voluntatem Domini quaesivit, ambulavit in religiosae perfectionis via et quotidie animo cohaerenti dispositus erga actionem praevenientem et convertentem gratiae factus est.

Servus Dei in parte Ianuae v.d. *Marassi* die 4 mensis Ianuarii anno 1904 est ortus et sex post dies baptismum recepit. Magna familia eius ferventer fide vivebat et sic Pius validam institutionem humanam ac christianam adeptus est. Inde a puero mores exemplares manifestabantur: intelligentissimus, studiosus, firmus et serenus, prudens ac liberalis erga omnes, a precationis et poenitentiae spiritu ductus. In spirituali itinere christianae initiationis, anno 1914 sacramentum confirmationis excepit et primum ad eucharisticam mensam appropinquavit.

Adulescens et iuvenis, dum Academiam Pulchrarum Artium frequentabat, vocationem suam agnovit et die 13 mensis Octobris anno 1924 ingressus est communitatem Filiorum Sancti Francisci de Paula, in Sanctuario Nautarum Ianuae et conventu Iesu et Mariae. Fratres Minimi fraterne ac iucunde eum receperunt. Postea Servus Dei missus est ad Ariminum in prae-novitiatum, postea denuo Ianuam-Sanctuarium ad canonicum annum novitiatus incipiendum. Die 4 mensis Novembris anno 1926 primam religiosam professionem emisit et sibi nomen posuit Pium Stanislaum; sollemnem vero professionem die 26 mensis Decembris anno 1929. Sacerdos die 14 mensis Iunii anno 1930 est ordinatus.

Reditus est Ariminum ut postulantium institutor, confessor et spiritualis moderator multorum fidelium. Tres post annos Romam translatus est in communitatem Sancti Andreae Apostoli de Hortis ut vicarius paroecialis.

A die 27 mensis Iunii anno 1933 usque ad annum 1948 paroecia Sancti Andreae Apostoli de Hortis et Sanctuarium Dominae Nostrae a Miraculo facta sunt campus floridissimus ac maximi momenti apostolatus eius, ad confessiones et spiritualem moderationem, ad infirmos ac morituros curandos et pauperum multitudines adiuvandas. Qui maxime Servum Dei frequentabant devoti erant "Filii spirituales" Patris Pii de Pietrelcina, hodie sancti, quorum Servus Dei putabatur unus e maioribus fratribus et fide dignissimis illius spiritualis familiae. Multa incepta pastoralia ac socialia acta sunt a Servo Dei, qui illo tempore amicitiam incepit cum Patre Pio promovens etiam "Coetus Orationis" ab ipso fundatos. Quindecim post annos denuo Ariminum petivit, perveniens propinquum Castrum Montisfloris ut rector sanctuarii Nostrae Dominae s.d. *de Bonora* et iterum Romam et deinde locum Massam Lubrensem prope Neapolim.

Inter varios famulatus actos a Patre Pio Dellepiane eminet etiam opera mendicii: praesertim Arimini operatus est ad pecuniam reperiendam ut conventus, grave laesus a rebus secundi totius mundi belli, reficeretur. Postremo Romae vixit. Maximam liberalitatem effudit pyrobolorum coniectione intercurrente super regionem Sancti Laurentii mense Iulio anno 1943: Servus Dei oeconomica et materialia auxilia connectebat cum religiosis solaciis quibus populum profunde ob rebus bellicis concussum sustinebat.

Spiritui Sancto obsequens et sincerae aspirationi ad sanctitatem fidelis, Servus Dei mirabiliter dilexit Dominum et plene exercuit regulam quam amplexerat ingrediendo Ordinem Minimorum. Simpliciter ac fideliter patefecit charisma Fundatoris eius, qui spiritualibus filiis obtulerat propositum "viventes Christi imagines" fieri, divinae voluntati credendo, pauperem agendo vitam et potissimum amando quadragesimalem modum vivendi et fovendo maiorem poenitentiae spiritum. Propter hoc oblatio et immolatio communes sunt Christi discipulis qui, in regula Sancti Francisci a Paula, offerunt se serene ac liberaliter huic consilio, gratias agentes Deo et auxilium afferentes animis. Pius Dellepiane ad summam liberalitatem pervenit et sese obtulit victimam sacrificalis expiationis Domino pro sacerdotum sanctificatione. Mores Servi Dei clare fuerunt magno modestiae ac severitatis spiritu, qui e profunda fide et praecipua electione pro Deo germinabant, quod est processus ad Eum facilius conveniendum, perluciditas vitae quae nimiae exteriori morum observantiae resistit.

Iter percurrens evangelici nuntii, Pius divinam voluntatem assidue quaesivit et illi pura mente adhaesit. Perseverans in oratione, semper subiectus gratiae actioni et, oboediens ac quietus, pacem invenit intimam et summam. Numquam questus est de superioribus vel confratribus et libenter ministerium suum egit, etiam et illud utile ac modestum stipem quaeritantis, quod, inter caetera, illi opportunitatem praebebat multis ex omnibus socialibus ordinibus occurrendi. Semper operator reconciliationis ac concordiae, spiritualis animationis, pastoralis et socialis actuositatis exstitit. Testis communionis cum Deo cotidiana in vita, omnes aedificavit zelo et animi tranquillitate, quam cordibus infundebat.

Valetudo eius, numquam firma, senectute imminenti gravia signa infirmitatum monstravit, praecipue hypertensionem, astheniam, cordis circulatoriam discompensationem. Quamobrem, urgentibus propinquis, sororis hospitio usus, ubi, thrombosi correptus, die 12 mensis Decembris anno 1976 exstinctus est. Choralis participatio funeris eius ulterius confirmavit sanctitatis famam quae eum tota vita circumdabat.

Hac fama perpensa, apud Vicariatum Urbis a die 5 mensis Decembris anno 1995 ad diem 26 mensis Februarii anno 1999 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam validitatem approbavit haec Congregatio decretum edens die 8 mensis Novembris anno 1999. Apparata *Positione*, de more disceptatum est utrum Servus Dei virtutes heroico in gradu exercuisset. Faventem ferens sententiam, die 22 mensis Novembris anno 2016 habitus est Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum. Purpurati Patres et Episcopi die 8 mensis Maii anno 2018, in Ordinaria congregati Sessione, cui egomet Angelus Card. Amato praefui, edixerunt Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pii Dellepiane (in religione: Pii Stanislai), Sacerdotis professi Ordinis Minimorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Guadalupe Ortiz de Landázuri y Fernández de Heredia, Christifidelis Laicae, Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei (1916-1975)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Guadalupe Ortiz de Landázuri y Fernández de Heredia, postrema ex quattuor filiis, nata est Matriti, e piis parentibus, die 12 mensis Decembris anno 1916, in die festo Beatae Mariae Virginis de Guadalupe. Doctoralem lauream obtinuit in Scientiis Chemicis, quas disciplinas deinde apud Lycaeum docere coepit. Anno 1944 postulavit ut in Opus Dei admitteretur "caelibatum apostolicum" servans. Sanctus Iosephmaria munera eidem commendavit moderandi quaedam incepta evangelizationis Matriti et Flaviobrigae. Anno 1950 Mexicopolim se contulit ut ea in natione labori apostolico Operis Dei inter mulieres initium daret. Ibidem igitur humanae et christianae multarum puellarum institutioni variis in civitatibus impense incubuit. Anno vero 1956, Dei Serva Romam se transtulit, ut Sancto Iosephmariae adiutricem operam praestaret in moderamine apostolatus mulierum Operis Dei. Propter gravem autem cordis infirmitatem sectionem chirurgicam subiit et anno 1958 Matritum rediit, ubi docendo operam dare perrexit et anno 1965 Lauream Pervestigationis in Chemica obtinuit, plenis quidem votis et addito insuper praemio extraordinario. Aegra valetudine erat, tamen docendi officio et apostolatui exercendo inter collegas, alumnas et amicas alacriter incubuit. Inter alia incepta, institutum studiorum de re domestica moderata est. Die 1 mensis Iulii anni 1975 subiit gravem chirurgicam sectionem, quia eius cardiopathia in peius versa erat. Perdurante periodo convalescentiae subitaneam crisim suffocationis passa est. Die vero 16 mensis Iulii, in festo Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, animam Deo piissime reddidit. Anno 2017 Summus Pontifex Franciscus heroicitatem virtutum eius agnovit.

Sanctitatis fama qua in vita gaudebat magis magisque diffusa est et haud pauci sunt qui testificantur se a Domino gratias accepisse, quas intercessioni Servae Dei tribuunt. Inter notitias harum gratiarum spiritualium et materialium peculiariter eminuit sanatio, quae anno 2002 evenit, viri 76 annos nati a tumore maligno in pelle prope oculum dexterum. Aegrotus intercessionem postulaverat Mariae Guadalupe Ortiz de Landázuri ad sana-

tionem obtinendam et alias quoque personas rogaverat ut hac ipsa petitione Mariam Guadalupe adirent.

Nocte quadam, sollicitus propter imminentem chirurgicam sectionem ad cancrum exstirpandum, aegrotus fidenter postulavit a Serva Dei ut illam sectionem vitaret. Mane vero diei subsequentis ipse comperit laesionem tumoralem omnino decessam esse. De medicorum sententia, scite explanari nequit exstinctio tumoris cancerosi huius generis sine medica cura. Notandum est insuper aegrotum instanter sanatum esse.

Inquisitio dioecesana super hac sanatione instructa est in archidioecesi Barcinonensi, a die 25 mensis Maii anno 2007 ad diem 16 mensis Ianuarii anno 2008; die 24 mensis Octobris anno 2008 haec Congregatio iuridicam validitatem praedicti Processus decrevit. In adunatione habita die 5 mensis Octobris anno 2017, Medicorum Dicasterii Consilium censuit huiusmodi sanationem fuisse instantaneam, completam ac definitivam et declaravit ipsam secundum scientiam medicam explanari non posse. Die 1 mensis Martii anno 2018 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum locum habuit; Patres autem Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 5 mensis Iunii anno 2018 congregati sunt, me Card. Angelo Amato moderante. In utroque autem Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierna die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Guadalupe Ortiz de Landázuri y Fernández de Heredia, Christifidelis Laicae Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam viri a «cancro cutaneo ulcerato».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iunii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

RIOIENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Henrici Angeli Angelelli Carletti, Episcopi Rioiensis, Gabrielis Iosephi Rogeri Longueville, Sacerdotis Dioecesani, Caroli de Deo Murias, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium et Venceslai Pedernera, Christifidelis Laici et Patrisfamilias († 1976)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius? Sicut scriptum est: "Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis". Sed in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos» (*Rm* 8, 35-37).

Haec fervens Apostoli Pauli proclamatio humanam, christianam ac sacerdotalem historiam Servi Dei Henrici Angeli Angelelli Carletti et Sociorum illustrare potest, qui sua in vita validum testimonium perhibuerunt absolutae additionis in Dominum necnon generosae navitatis in ministerio pro fratribus praecipue debilioribus et indefensioribus. Servi Dei, qui Argentina cruenta persecutione saeviente anno 1976 Christo obtulerunt pulcherrimum testimonium fidei, excipientes hanc invitationem, amoris eius sustulerunt pericula, contumelias et damnationem iniustam usque ad sanguinis effusionem.

Parvus manipulus martyrum ducitur a Servo Dei *Henrico Angelo Angelelli Carletti*, episcopo Rioiensi. Is in regione civitatis v.d. *Alta Córdoba* eiusdem oppidi die 17 mensis Iulii anno 1923 natus, sacro fonte sequenti die 30 mensis Augusti lustratus est. Maturata vocatione ad sacerdotium anno 1938 Seminarium Nostrae Dominae Cordubae est ingressus. Die autem 9 mensis Octobris anno 1949 Romae sacro ordine auctus et die 12 mensis Decembris anno 1960 episcopus titularis Lystrensis electus necnon Auxiliaris Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, die autem 12 mensis Martii anno 1961 episcopalem ordinationem suscepit. Anno 1968 ei dioecesis Rioiensis rectio commissa est, quae autem fines suos propagabat in pauperiores locos Argentinae, ibique tamen pastoralem actionem adhibuit et curavit ut sua electio praecipua semper esset in pauperes uti etiam Concilium Vaticanum II suo magisterio necnon documenta coetus episcoporum totius Americae Meridianae praeceperant: hoc subitaneum odium et inimicitia regiminis dictatorii in totam nationem saevientis convertit. Anno 1976 post Rei Publicae eversionem a militibus exactam, persecutio erga Servum Dei et suos colla-

borantes magis aperta ac violenta facta est, enim deprehensi sunt quidam sacerdotes et novae provisiones adhibitae sunt ad ecclesiae muneris exercitium impediendum. Die 4 mensis Augusti eiusdem anni postquam exequias Servorum Dei Caroli de Dios Murias et Gabrielis Longueville celebraverat dominus Angelelli in casum viarium incidit, qui eum ad mortem perduxit. Expirato regimine dictatorio, inchoavit poenalis processus qui anno 2014 sententiam prodiit in qua criminosa natura illius viarii casus comperta est, qui olim ab Argentinae potentioribus illis regiminis praemeditatus erat.

Servus Dei *Gabriel Longueville*, sacerdos fidei donum, natione Francus, in pago v.d. Étables in regione Ardescae die 18 mensis Martii anno 1931 natus et sequenti die 12 mensis Aprilis sacro fonte est lustratus. Die 26 mensis Septembris anno 1942 Sancti Caroli Seminarium Minus ad civitatem *Annonay* ingressus est et Octobri mense anno 1948 ad Seminarium Maius ivit. Dum ad studia sua attendit, ab anno 1952 ad annum 1954 militavit et rursus anno 1956 cum fuit Icosii. Post reditum in seminarium institutionem suam perfecit, die autem 29 mensis Iunii anno 1957 sacro ordine auctus est. Primum brevi tempore iuxta Seminarium Minus linguas docuit et anno 1968 missus est Argentinam in dioecesim Corrientensem et deinde ad Rioiensem. Illic toto corde adhaesit proposito pastorali domini Angelelli. Nominatus est vicarius cooperator ecclesiae paroecialis Salvatoris pagi *Chamical*, anno autem 1972 ei commissum est munus vicarii substituti. Cognovit ipse persecutionem, quae contra actionem pastoralem Henrici Angelelli suscepta erat, die 18 mensis Iulii anno 1976 una cum Patre Carolo Murias deprehensus et ficta accusatione est interfectus.

Servus Dei *Carolus de Deo Murias*, sacerdos ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, die 10 mensis Octobris anno 1945 Cordubae natus, sequenti die 25 mensis Novembris sacro fonte est lustratus. Postquam studuerat iuxta scholam a monialibus rectam Militare Lycaeum anno 1958 est ingressus. Cursu expleto, se ad facultatem ingeniariae artis adscripsit, haec tamen studia umquam perfecit, cum enim in eo ad maturitatem vocatio ad consecratam vitam perveniret et die 5 mensis Aprilis anno 1966 postulatum incepit. Decembri mense sequenti ad noviciatum admissus est et anno 1968 simplicem emisit professionem. Die 31 mensis Decembris anno 1971 sollemnem professionem edidit. Peracto cursu philosophico necnon theologico, uti praescriptum est, die 17 mensis Decembris anno 1972 per manus domini Angelelli sacro ordine auctus est. Sequentes tres annos duobus in paroeciis

degit munere vicarii cooperatoris fungens, ibique vehementissimam pastoralem operam provexit maxime in iuvenes et egeniores. A mense Martio ad mensem Iulium anno 1975 fuit in pago *Chamical* in Rioiensi dioecesi, quia illic propositum erat constituendi communitatem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium. Anno 1976 stabiliter in ministerio illius dioecesis collocatus est et die 6 mensis Maii dominus Angelelli eum paroeciae pagi *Chamical* vicarium cooperatorem nominavit. Suis in homiliis fortiter incursavit iniquitates perpetratas a politicas institutiones olim regentibus. Vespere dominicalis diei 18 mensis Iulii, cum cibum vespertinum una cum quibusdam sororibus Instituti Sororum Sancti Ioseph sumebat, deperehensus est cum Servo Dei Gabriele Longueville a quibusdam viris qui se dicebant esse ministros publicae custodiae. Uterque eodem vespere est interfectus.

Servus Dei *Venceslaus Pedernera*, vir laicus ac paterfamilias, die 28 mensis Septembris anno 1936 in pago *La Calera* in Argentina natus, die 24 mensis Septembris anno 1938 sacro fonte lustratus est. Iam a pueritia operam dedit rusticis curis et anno 1961 in civitatem *Mendoza* se transtulit ut in quodam praedio operam daret. Mense Martio anno 1962 uxorem duxit Martham Raimundam Cornejo quo ex matrimonio genitae sunt Maria Rosa, Susanna Beatrix et Stella Martha. Primum procul a fide fuit deinde auditis sermonibus in quibusdam popularibus missionibus ad fidem rediit et assidue ad sacramenta accessit. Eodem tempore navavit in opera cooperationis ruralis et anno 1968 ingressus est coetum moderatorum illius regionis Motus Ruralis Argentinae Actionis Catholicae in regione *Cuyo*. Anno 1972 interfuit duobus cursibus ad institutionem ac profundius investigationem fovendam ab eadem associatione in pago *La Rioja* apparatis, deinde illum in locum se transtulit actuoso auxilio domini Angelelli suffultus. In Argentina illo tempore haec nava actio saepissime impediebatur, quia in seditionis suspicione erat, hoc maxime postquam militum dictatoria auctoritas Rei Publicae potita est, Servus Dei una cum suis familiaribus nonnullis minis exterritus est. Nocte inter diem 24 et 25 mensis Iulii anno 1976 dum domi commoratur, in insidias incidit graviter vulneratus, ad valetudinarium oppidi *Chilecito* deductus est ibique intra paucas horas mortali e vita excessit.

Fama martyrii horum quattuor Servorum Dei in Ecclesia cito increbuit, quam ob rem a die 31 mensis Maii anno 2011 ad diem 15 mensis Maii anno 2015 iuxta Curiam ecclesiasticam Rioiensem Inquisitio dioecesana Servorum Dei Caroli de Deo Murias, Gabrielis Longueville et Venceslai Pedernera cele-

brata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 6 mensis Novembris anno 2015 est approbata. Inquisitio dioecesana autem Servi Dei Henrici Angeli Angelelli Carletti iuxta Curiam Ecclesiaticam Rioiensem a die 13 mensis Octobris anno 2015 ad diem 15 mensis Septembris anno 2016 celebrata est cuiusque iuridica validitas ab hac Nostra Congregatione per Decretum diei 19 mensis Maii anno 2017 est approbata. Rioiensis Episcopi rogatu, per huius Congregationis de Causis Sanctorum decretum diei 27 mensis Octobris anno 2016 utraque Causa in una coniuncta est. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servorum Dei verum fuisset martyrium. Die 15 mensis Maii anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus fausto cum exitu habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 5 mensis Iunii anno 2018 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, supradictos Servos Dei interfectos esse ob suam fidem in Christum et in Ecclesiam agnoverunt.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Henrici Angeli Angelelli Carletti, Episcopi Rioiensis, Gabrielis Iosephi Rogeri Longueville, Sacerdotis Dioecesani, Caroli de Deo Murias, Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, et Venceslai Pedernera, Christifidelis Laici et Patrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iunii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEXICANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Conceptione Cabrera viduae Armida, Christifidelis Laicae et Matrisfamilias (1862-1937)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria a Conceptione Cabrera vidua Armida Mexicana in urbe Sancti Ludovici Potosiensis die 8 mensis Decembris anno 1862 nata est. Scholastica eius institutio ultra rudimenta haud progressa est; cum ad tertium decimum annum aetatis suae attigisset, futurum maritum Franciscum Armida frequentare incepit, cui nupsit anno 1884 et a quo novem filios peperit. Vulgo dicta "Conchita", Venerabilis exemplar fuit sponsae et matris. Post septem et decem annos vitae coniugalis, virum amisit et in viduitate vixit. Serva Dei spiritali vita crebuit magis magisque in contemplatione Sanctissimae Trinitatis incubuit, a Domino quasdam gratias singulares obtinuit: multa manuscripta sua praeterea profunditatem eius spiritualis itineris ostendunt. Quosdam spirituales moderatores habuit et dioecesana approbatione fundavit et excitavit varias societates: "Opera Crucis", "Apostolatum Crucis", "Religiosas Crucis Sacri Cordis Iesu", "Foedus Amoris cum Corde Iesu" et "Fraternitatem Sacerdotalem". Anno 1914 cum Venerabili P. Felice a Iesu Rougier operam suam dedit in fundatione Missionariorum Spiritus Sancti. Die 3 mensis Martii anno 1937, fama sanctitatis circumdata, mortua est post dolentissimum morbum, multis assessa a suis filiis et a multis religiosis viris ac mulieribus institutorum ab eadem incitatorum. Die 20 mensis Decembris anno 1999 sanctus Ioannes Paulus II eam Venerabilem declaravit.

Beatificationi prospiciens, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam viri sanationem subiecit, quae in Mexicana urbe Monterreyensi anno 2008 evenerat.

Iam ab anno 1993 hic vir percipere incepit spasmos, musculorum contractiones una cum infirmitate in deambulando, dolores in crure ac in sinistro brachio. Ad valetudinaria saepe accedere debuit ut curaretur, sed nullo fere cum effectu. Immo vero ab anno 2003 condiciones eius in peius admodum ruerunt et anno 2005 irrevocabiliter, ut ob acriories dolores et corporis functiones crebrissime ad valetudinaria accedere deberet.

Interea aegroti uxor, per cuiusdam amicae interventum Venerabilem cognovit. Amica tradidit Religiosis Mulieribus Crucis photographicam aegroti

imaginem et eidem autem librum dedit de Conchitae vita cum parva imagine et reliquia eiusdem. Eamdem Venerabilem Servam ergo exorabant ad sanationem impetrandam. Post meridiem diei 22 mensis Maii anno 2008 datum est videre inopinatam remissionem spasmorum artuum sinistri lateris, absentiam contractionum, dilapsionem deformitatum artuum in flexione, motus omnes et corporis status qui paulo ante concipi non dabantur. Mane sequentis diei aegrotus sine impedimentis in cubiculo se movebat. Decesserunt etiam dolores et spasmi. Duos post dies vir a valetudinario bona in valetudine demissus est.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Monterreyensem a die 11 mensis Martii anno 2011 ad diem 14 mensis Maii anno 2015 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 15 mensis Aprilis anno 2016 est approbata. Medicorum huius Dicasterii Consilium in sessione diei 23 mensis Novembris anno 2017 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex legibus scientiae inexplicabilem fuisse. Die 1 mensis Martii anno 2018, positivo cum exitu, Peculiaris Congressus Theologorum Consultorum actus est. Die autem 5 mensis Iunii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae a Conceptione Cabrera viduae Armida, Christifidelis Laicae et Matrisfamilias, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam viri a "malattia da ipereccitabilità del nervo periferico con grave limitazione funzionale e gravi contratture".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iunii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

PANORMITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Petri Di Vitale, Christifidelis Laici (1916-1940)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Adveniat regnum tuum, regna omnibus in cordibus, Iesu! Multa agerem et multa insuper ut Iesu Amor cognoscatur».

Haec Servi Dei Petri Di Vitale sententia clare eius ardentem amorem erga Iesum ostendit, necnon missionarium afflatum qui omnino fuit consentaneus vitae etsi brevi huius iuvenis seminaristae Panormitanae Ecclesiae.

Servus Dei, Vitalis et Annae Scimeca filius, Castrinovi Panormitana in provincia die 14 mensis Decembris anno 1916 inopi admodum e familia natus est. Petrus die 24 mensis Decembris, decem dies post ortum, iuxta sui pagi ecclesiam maiorem sacro fonte lustratus est. Secundum christiana praecepta feliciter institutus, quinto anno aetatis sacram confirmationem suscepit et primitus ad eucharisticam mensam accessit. Mense Iulio anno 1925 quamvis admissus sit ad quintam classem ludi studia intermittere debuit ut familiae suae subsidium ferret. Hac re operam suam rusticis curis incohavit praebere.

Interea in se prima signa sacerdotalis vocationis percipere incepit, quae favebantur etiam ab exemplo amitae monialis e Filiabus a Sacris Cordibus et cuiusdam patrui, fratris laici ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum; hac re rediit ad Castrumnovum et ad studia rursus privatim incubuit sub disciplina archipresbyteri; sic licentiam ludi assecutus est. Expletis quattuor et decem annis aetatis Tertii Ordinis Sancti Francisci vestem induit. Anno 1931 tesseram socii petitoris Italicae Catholicae Actionis accepit et mense Iulii eiusdem anni uti scholae privatae alumnus admissionis examina sustinuit et feliciter superavit, ita ut posset secundae classi gymnasii se adscribere iuxta Panormitanum Archiepiscopale Seminarium Minore. Scholari in anno 1931 et 1932 secundam classem gymnasii frequentavit. Novembris in mense superatis omnibus examinibus statutis beneficium scholasticum scilicet bursam studiorum consecutus est. Die Immaculatae festo anno 1931 Servus Dei decimo quinto anno aetatis suae clericalem induit vestem. Anno 1932 se adscripsit Operae Domini Nostri Iesu Christi Regalitatis uti iure socius.

Sequenti anno, Iubileo Humanae Redemptionis recurrente, cum primus inter omnes alumnos classis esset, electus est inter Panormitanos Seminarii alumnos ut ad Summi Pontificis aditui interesset, peregrinationem ad Romam exagendo. Expleta tertia gymnasii classe, Seminarium Maius ingressus est ut iter suum institutionis perficeret.

Primis diebus mensis Maii anno 1934 inceperunt se ostendere quaedam valetudinis impedimenta, ob quae una cum condiscipulis suis conclusioni Congressus Eucharistici Agrigentini interesse nequit, preterea Rectoris consilio Seminarium relinquit quinque per menses et suum ad pagum rediit. Potuit valetudinem suam confirmare et quintam classem gymnasii frequentavit una cum prima classe lycei. Sed in anno scholae 1936-1937 Servus Dei tantum primi trimestris secundae lycei lectiones potuit audire, quia valetudo eo infirmata est ut ad Seminarii valetudinarium mitteretur muneremque etiam adiutoris infirmorum ministri gerendo. Deinde post breve temporis intervallum in sacerdotum convalescentiario stabiliter rediit ad Castumnovum.

Medicus, qui eum curabat, diagnosim edidit "*syndromis intestini ac stomachi dolentis*". Ob eius tenuem et precariam valetudinem chirurgicae sectioni subiici nequit. In pago Servus Dei archipresbyterum et sui confessarium auxilio laboris alacriter adiuvavit et actuose vehementerque apostolatum inter iuvenes gessit necnon de loci historia quaedam studia expedivit.

Servi Dei vita insignis fuit propter eius singularem adhaesionem Domini voluntati et propter haeroicum exercitium virtutum. Iuvenis seminarista agnoscendo et adorando maxime in Eucharistia Iesum Christum vehementissime dilexit una cum Beata Virgine Maria.

Inventa vocatione presbyteriali, omnia direxit ad tam desideratum ministerium, per orationem et studium ut omnes homines Iesum cognoscerent et amarent. In Seminario a condiscipulis acceptus et a superioribus sua gravitate et sincera intentione ad finem suum persequendo valde existimatus est. Ipse tamen propositum hoc in mundo nequit ad effectum perducere quia "Soror Mors" ante tempus eum salutavit. Debilitatus a morbo, suos dolores pro multis obtulit, qui non cognoscant vel ament Dominum, ipsummet praebuit uti victimam ut quidam ad Deum rediret. Limpidum ac efficax testimonium suae artissimae unionis cum Domino fuit eiusdem profundissima fides et serena dolorum tolleratio maxime in vitae extremis.

In aestate anni 1939 familia ruris in domuscula se traduxit, ut eius valetudini aliquo modo iuvaret. Lecto denique detentus, die 29 mensis Ianuarii

anno 1940, acceptis sacramentis, a matre sua assessus nomina Iesu et Mariae exclamans Servus Dei in Dominum mortali somno occubuit. Sequenti die exequiae celebratae sunt, quibus interfuerunt multissimae personae et multa fuerunt signa existimationis necnon sanctitatis famae.

Hac fama a die 6 mensis martii anno 1987 ad diem 25 mensis Iunii anno 1995 iuxta Curiam ecclesiaticam Panormitanam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Octobris anno 1996 est approbata. Exarata *Positione*, die 16 mensis Novembris anno 2017, positivo cum exitu, Peculiaris Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 3 mensis Iulii anno 2018, cui egomet ipse Angelus Card. Amato praefui, agnoverunt Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Di Vitale, Christifidelis Laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FLORENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Georgii La Pira, Christifidelis Laici (1904-1977)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ne illa communis ac levis dicatur sententia profitens *politicam esse rem turpem!* Non licet: actuositas enim politica est munus humanitatis ac sanctitatis; est munus quod dirigere debet in se omnia conamina vitae oratione, commentatione, prudentia, fortitudine, iustitia et caritate omnino suffultae ».

Haec verba, a Servo Dei Georgio La Pira scripta, eius spiritualia lineamenta bene explicant. Eius investigatio dialecticae politicae super religiosa traditione fundatae non fuit solummodo theorica docti viri cogitatio, sed totius eius vitae animi flamma.

Servus Dei die 9 mensis Ianuarii anno 1904 Alpusalli iuxta Ragusam in Sicilia natus est et sequenti die sacro fonte lustratus. Primus fuit filius humilis familiae et inter plurima impedimenta diplomate scientiae rationariae se exornare valuit, cui accessit etiam probatio in examine maturitatis humanis in litteris: sic potuit laurea iurisprudentiae coronari. Florentiam se transtulit ibique Ius Romanum docuit. Inter annum 1929 et annum 1939 ardens navitas studiosi eum ad nexus cum Universitate Catholica Mediolanensi perduxit, ubi commercia iunxit cum Patre Augustino Gemelli et Iosepho Lazzati et adhaesit Operi Regalitatis a patre franciscano instituto. Operam funditus dedit in Actione Catholica Iuvenum et in divulgatione per scripta super catholica doctrina fundata.

Anno autem 1939 acta periodica instituit et direxit in quibus, fascista regimine adhuc florente, elementa fundamentalia christiana verae democratiae delineabat. Anno 1943 effugit a repentina irruptione politiae secretae eum quaerentis, quia doctrinae fascistae reluctatus erat atque strenue obstiterat promulgationi legum ad integritatem generis servandam anno 1938. Cum Romam contigit, apud Pontificiam Universitatem Lateranensem aulas habuit, quas iuvenum admiratione incensorum multitudo frequentabat. Florentiam, libertate restituta, Augusto mense anno 1944 La Pira rediit ut doceret apud Universitatem. Interea suam altius perscrutatus est doctrinam

per relationem cum doctis viris catholicis Francogallis et cum Anglosaxonibus rerum oeconomicarum peritis. Ingens illi fuit magisterium Ioannis Baptistae Montini, futuri Papae Pauli VI et hodie sancti. Interdum Servus Dei optimus testis dominicanae traditionis et fervens discipulus tomisticae doctrinae evasit.

Anno 1946 electus est ut interesset Coetui ad novam Rem Publicam constituendam: hoc exercendo munere valuit testimonium praebere et christianae praesentiae favere in renovanda Italica populari civitate. Anno 1948 Subsecretarius Ministerii Operum nominatus est. Deinde electus est praefectus urbis Florentiae, ter autem fuit in Coetu Deputatorum ad leges ferendas. Cum munus praefecti urbi exercuit, magnas operas in administratione rerum publicarum et multa incepta politica et socialia suscepit, cum singulari sollicitudine universorum operariorum: celebris fuit occasio in qua strenue defenderat laborem amplius quam duo milium opificum officinarum mechanicarum s.d. *Pignone*.

Eius ferventi in apostolatu, ad sententiam politicae caritatis accommodato, se tradidit numquam intermisso labore ad pacem aedificandam occurrens multis hominibus eximiae illius temporis, quod dicitur *bellum frigidum,* auctoritatis, scilicet Iosepho Stalin, Ho Chi-Minh, Secretario Unitarum Nationum Coetus U Thant, Leopoldo Senghor, Aegyptio Nasser atque Israelitico Abba Eban. Haec autem fuit actio omnino singularis toto in Occidente, ut relationes veras, profundas ac stabiles promoveret inter politicos curatores omnium Nationum. Anno 1955 magistri civium omnium orbis maiorum civitatum Florentiae foedus amicitiae subscripserunt.

Anno 1966 Servus Dei suam politicam navitatem rarefacere incepit, sed relationes internationales munus exercens praesidis Foederationis Omnium Orbis Civitatum Unitarum retinuit. Innumerae fuerunt eius epistulae missae ad rerum publicarum principes, ad clarissimos viros omnibus in continentibus, claustralia ad monasteria, ad senes et ad pueros Florentiae, uti etiam innumerae fuerunt suae orationes et colloquia maxime cum iuvenibus.

Humanitatis plenitudo in cummunione cum Deo et convenienter unitas ac pax: haec omnia praecipue moderata sunt et quidem singulas electiones Georgii La Pira gubernaverunt.

Eius fides, pertinax et profunda, ponderanda est in difficillimis adiunctis eius vitae: enim res saeculi vicesimi in Italia, saepe etsi inconsulto tamen

in cursu rerum, valde hostiles erga fidem christianam et ipsam Ecclesiam fuerunt. Hoc invenitur florente regimine fascistarum, sed maxime flagrante bello et quidem vix post ipsum bellum. Firmissima fuit Servi Dei voluntas defendendi ius Ecclesiae et christifidelium laicorum eorum in ministerio exercendo.

Eius intima animi vita, fons indefessae navitatis apostolicae, cotidie alebatur e fervida eucharistica spiritualitate et ex devotione erga Virginem Mariam. Etiam difficilibus in adiunctis sui temporis numquam perdidit fiduciam videndi primam lucem novi diei pro Ecclesia et mundo atque, magno caritatis spiritu, operam dedit ut haec prima lux splenderet, adhibita potissimum cura eorum qui in corpore et spiritu laborarent.

Prudentia animique ardor in civitate gubernanda, sollicitudo erga proximum egeniorem, aequi animi firmitas una cum magna lenitate et humanitate: haec omnia erant tesserae huius musivi spiritualis operis ab omnibus statim perceptae. Georgius La Pira vir spei summo gradu fuit.

Extremi eius anni gravi morbo onerati sunt, usque ad diem 5 mensis Novembris anno 1977, qua mors accessit ultima.

Fama sanctitatis perdurante, a die 11 mensis Martii anno 1987 ad diem 4 mensis Aprilis anno 2005 apud Curiam ecclesiasticam Florentinam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 24 mensis Octobris anno 2007 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu die 3 mensis Maii anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Die autem 3 mensis Iulii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Georgii La Pira, Christifidelis Laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Caroli Acutis, Christifidelis Laici (1991-2006)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Consummatus in brevi, explevit tempora multa» (*Sap* 4, 13).

Israelis Sapientis meditatio bene se accomodat cum Servo Dei Carolo Acutis, qui vix quindecim annos natus et ad terminum suae vitae pervenit et ad plenitudinem humanae ac christianae perfectionis.

Servus Dei Londinii die 3 mensis Maii anno 1991 ab Andrea et Antonia Salzano natus est, sequenti autem die 18 mensis Maii apud ecclesiam Nostrae Dominae Dolorum, in urbe Britanniae capite, sacro fonte lustratus est. Deinde eius familia Septembri mense eiusdem anni sedem suam Mediolanum transtulit, ludumque Carolus apud quaedam religiosa instituta frequentavit. Iam a pueritia naturam ostendit serenam et affabilem necnon indolem apertam et iucundam. Suus spiritalis habitus praesertim eminuit suumque desiderium eximium fuit accipere sacramentum Eucharistiae. Qua re ipse postulavit ut acciperet ante tempus Primam Communionem. Cum iuvenis admodum maturus esset et in spiritualibus rebus valde provectus, eius spiritualis moderator ei facultatem dedit. Ut aptius ad occursum cum Domino adiret, Carolus catechismo studuit eumque meditatus est. Sic die 16 mensis Iunii anno 1998 primitus Eucharistiam accepit et die 24 mensis Maii anno 2003 Confirmationem suscepit.

Saepe in feriis multum tempus Assisii una cum familia feliciter degebat, ibique suam in spiritualem maturitatem gradatim progressus est, secundum vestigia spiritus Sancti Francisci, tradens se singulari fervore in eximiam pietatem in Eucharistiam et devotionem erga Virginem Mariam.

Post gymnasium, decimo quarto anno aetatis, ad lyceum humanarum litterarum accessit iuxta Mediolanense Institutum Leonis XIII, in quo praeterea tam singularem didicit facultatem in rebus informaticis ut novum sui Instituti voluntariarum actionum interretialem situm conderet et paulo post etiam situm Pontificiae Academiae Cultorum Martyrum.

Cum illis annis ad studia sua attendebat, quamvis essent graviora, voluit temporis aliquantum impendere in pueris Confirmationem sumpturis

instituendis et in catechismum docendum in paroecia Sanctae Mariae Secretae. Propter suavissimos mores ac benevolam hilaritatem, semper erat in attentionibus omnium suorum amicorum, quos adiuvabat in instrumentis computatoriis bene adhibendis et in eorundem ratione computatoria expedite constituenda. Multae fuerunt significationes eius facultatum in rebus informaticis necnon eius promptitudinis in iis suppeditandis aliis condiscipulis in schola et vero omnibus iis in necessitatibus versantibus.

Eius oboedientia erga parentes institutoresque digna fuit admiratione. In iis enim Patris voluntatem prospiciebat. Alioquin fidem habuit, quae alios trahebat.

Fundamentum eius spiritualitatis erat cotidianus occursus cum Domino in Eucharistia. Carolus aiebat: «Eucharistia est mea via autocinetica ad Caelum!». Post Primam Communionem cotidie incepit frequentare Missam. Ad instar pusillorum pastorum Fatimae, parvas iacturas sibi imposuit pro iis qui Dominum non diligunt. Sic pretiosissimum opus apostolatus inter condiscipulos scholae et amicos egit et uti verus apostolus Eucharistiae voluit adhibere suam peritiam rebus in informaticis ut excogitaret et efficeret ostensionem internationalem super Eucharistica miracula, quae autem erat ampla collectio imaginum photographicarum de praecipuis eucharisticis prodigiis quae per saecula mundi variis in partibus evenerant.

Carolus Christum funditus secutus est et difficilibus in adiunctis inter personas aliam fidem profitentes Evangelii testimonium perhibuit. Umquam quemquam seclusit vel exclusit. Quamvis ex diviti familia esset, brevi eius in vita rebus materialibus non adhaesit sed indigentes earum participabat. Eius caritatis erga pauperes, personas sine tectis vitam degentes, advenas exterarum nationum et denique egenos omnes praestantissimum evasit testimonium.

Eius summum propositum erat Evangelium communicare ut personae ad Deum reducerentur. Eius peritia in usu computatorii instrumenti eum ostendit ut exemplar non tantum liciti sed etiam fecundi modi huius instrumenti, retis interretialis et denique mediorum socialium interretialium utendi.

Praecox animi perceptio Christi lucem ac laetitiam pervulgandi per nova media socialis communicationis eum uti primum fere colonum huius novi campi proponit.

Carolus cotidie Rosarii orationem precabatur Virginique Mariae se consecravit ut suum affectum renovaret et eiusdem praesidium impetraret. Eius in conscientia spirituali adfuerunt semper Novissima una cum vitae aeternae spe. Ei ultramundana bona erant consueta necnon cotidiana sicut eius amor in Ecclesiam, Summum Pontificem eiusdemque magisterium, Episcopos et Sacerdotes. Pro omnibus enim orabat omnesque Sacro Cordi Iesu commendabat. Primis diebus mensis Octobris anno 2006 gravi morbo correptus est; primum videbatur simplex esse grippa, postea autem comperta est leucaemia generis *M3*, quae autem est longe infestior. Ipse suam serenitatem et laetitiam usque ad finem servavit, etiam cum huius morbi momenta graviora facta sunt. Certus erat proximi occursus cum Deo, suis cum moribus suisque verbis adstantes ad virtutem excitans.

Receptus in Mediolanensi clinica et deinde in valetudinario Modiciae mors cerebri comperta est vespere diei 11 mensis Octobris anno 2006. Eius autem cor prima luce sequentis diei desiit pulsare. Duo post dies exsequiae in ecclesia Sanctae Mariae Secretae celebratae sunt. Corpus eius primum Ternengi, Bugellensi in provincia, familiae in sepulcro conditum est deinde Assisiense municipale in coemeterium translatum est.

Eius fama sanctitatis, a die 12 mensis Octobris anno 2013 ad diem 24 mensis Novembris anno 2016 apud Curiam Ecclesiasticam Mediolanensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 26 mensis Maii anno 2017 est approbata. Exarata Positione, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 17 mensis Aprilis anno 2018 Peculiaris Congressus Theologorum Consultorum habitus est.

Patres Cardinales et Episcopi die 3 mensis Iulii anno 2018 Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tem-*

perantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caroli Acutis, Christifidelis Laici, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2018.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 8 Augusti 2019. — Metropolitanae Ecclesiae Massiliensi P.D. Ioannem Marcum Aveline, hactenus Episcopum titularem Simidiccensem et Auxiliarem archidioecesis Massiliensis.

die 3 Septembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Mylanae R.D. Paulum Borgia, Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Scalholtensi R.D. Antonium Camilleri, Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

— Titulari Archiepiscopali Ecclesiae Mesembrianae R.D. Paulum Rudelli, Nuntium Apostolicum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre ha compiuto un Viaggio Apostolico in Mozambico, nei giorni 4-6 settembre, e in Madagascar e Maurizio, nei giorni 6-10 settembre.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

6 agosto 2019 S.E.R. Mons. Petar Rajič, Arcivescovo tit. di Sarsenterum, Nunzio Apostolico in Lituania, *Nunzio Apostolico in Estonia e Lettonia.*

29 » » S.E.R. Mons. Ivo Scapolo, Arcivescovo tit. di Tagaste, finora Nunzio Apostolico in Cile, *Nunzio Apostolico in Portogallo.*

» » » S.E.R. Mons. Bruno Musarò, Arcivescovo tit. di Abari, finora Nunzio Apostolico nella Repubblica Araba d'Egitto e Delegato presso la Lega degli Stati Arabi, *Nunzio Apostolico in Costa Rica.*

3 settembre » Il Rev.do Mons. Paolo Borgia, finora Assessore per gli Affari Generali della Segreteria di Stato, *Arcivescovo titolare di Milazzo affidandogli allo stesso tempo l'ufficio di Nunzio Apostolico.*

» » » Il Rev.do Mons. Antoine Camilleri, finora Sotto-Segretario per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, *Arcivescovo titolare di Skálholt affidandogli allo stesso tempo l'ufficio di Nunzio Apostolico.*

» » » Il Rev.do Mons. Paolo Rudelli, finora Inviato Speciale, Osservatore Permanente della Santa Sede presso il Consiglio d'Europa a Strasburgo, *Arcivescovo titolare di Mesembria affidandogli allo stesso tempo l'ufficio di Nunzio Apostolico.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

21 agosto 2019 Il Rev.do P. Serge-Thomas Bonino, O.P., *Presidente della Pontificia Accademia di San Tommaso d'Aquino per un secondo quinquennio.*

27 » » Il Rev.do P. Humberto Miguel Yáñez, S.I. (Argentina), Professore presso la Facoltà di Teologia Morale della Pontificia Università Gregoriana; e gli Ill.mi Coniugi Emilio Inzaurraga e Claudia Alejandra Carbajal (Argentina), rispettivamente Coordinatore per l'America dell'Equipe di Promozione del *Foro Internacional de la Acción Católica* - FIAC, Professoressa di Scienze dell'Educazione presso l'Università Cattolica Argentina, *Consultori del Dicastero per i Laici, la Famiglia e la Vita «ad quinquennium».*

27 agosto 2019 Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Baltazar Enrique Porras Cardozo, Amministratore Apostolico *sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis* di Caracas, Arcivescovo di Mérida (Venezuela); Jozef De Kesel, Arcivescovo di Mechelen-Brussel, Ordinario Militare per il Belgio, Presidente della Conferenza Episcopale del Belgio; Joseph William Tobin, C.SS.R., Arcivescovo di Newark (U.S.A.), Superiore di Turks and Caicos (Gran Bretagna); Luis Francisco Ladaria Ferrer, S.I., Prefetto della Congregazione per la Dottrina della Fede; gli Ecc.mi Mons.ri: Jose S. Palma, Arcivescovo di Cebu (Filippine); Gerard Tlali Lerotholi, O.M.I., Arcivescovo di Maseru (Lesotho); Marian Florczyk, Vescovo tit. di Limata, Ausiliare di Kielce (Polonia); Antonino Raspanti, Vescovo di Acireale (Italia), *Membri del Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium »*.

I Rev.di: Mons. Tamás Toth, Segretario della Conferenza Episcopale Ungherese; Sac. Jacques de Longeaux, Professore della Facoltà di Teologia Notre-Dame di Parigi (Francia); i Rev.di Padri: Eric Salobir, O.P., Docente di Comunicazione digitale presso l'Università Cattolica di Parigi (Francia); Paolo Benanti, T.O.R., Docente di Morale e di Bioetica presso la Pontificia Università Gregoriana di Roma e il Pontificio Collegio Leoniano di Anagni (Italia); le Rev.de Suore: Dominica Dipio, M.S.M.M.C., Professoressa di Letteratura presso la Makerere University di Kampala (Uganda); Patricia Murray, I.B.V.M., Segretaria dell'Unione Internazionale delle Superiore Generali - U.I.S.G. (Irlanda); Mariella Mascitelli, P.D.D.M., Architetto specializzata in architettura ed arte per la liturgia (Italia); gli Ill.mi Signori: Prof. Roberto Battiston, Docente di Fisica Sperimentale presso l'Università di Trento (Italia); Prof. Stefano Paleari, Docente di Analisi dei Sistemi Finanziari presso l'Università degli Studi di Bergamo, Commissario Straordinario di Alitalia (Italia); Dott.ssa Maud de Beauchesne-Cassanet, Responsabile del Dipartimento di Arte Sacra della Conferenza dei Vescovi di Francia; Dott. Daniele Pasquini, Presidente Nazionale del Centro Sportivo Italiano, *Consultori del Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium »*.

Il Rev.do Sac. Piotr Pastercyk; i Rev.di Padri: Paul Béré, S.I, Kevin Fitzgerald, S.I.; gli Ill.mi Signori: Prof. Edward Alam, Prof. Glenn Chatelier, Dott. Edio Costantini, Prof. Ivano Dionigi, Dott. Joachim Hake, Dott.ssa Choe Hyondok, Prof. Ralf Van Bühren, *Consultori del medesimo Pontificio Consiglio della Cultura « in aliud quinquennium »*.

31 agosto 2019 Il Rev.do Mons. Dario Edoardo Viganò, finora Assessore del Dicastero per la Comunicazione, *Vice Cancelliere della Pontificia Accademia delle Scienze e della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali, con specifica competenza per il settore della comunicazione.*

31 » » Il Rev.do Mons. Mark Gerard Miles, Consigliere di Nunziatura, *Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione degli Stati Americani (O.S.A.).*

NECROLOGIO

3	agosto	2019	Mons. John Philip Saklil, Vescovo di Timika (*Indonesia*).
10	»	»	Mons. Bernard Unabali, Vescovo di Bouganville (*Papua Nuova Guinea*).
11	»	»	Sua Em.za il Card. Sergio Obeso Rivera, del Titolo di San Leone I, Arcivescovo em. di Jalapa (*Messico*).
12	»	»	Mons. John Michael Sherlock, Vescovo em. di London (*Canada*).
21	»	»	Mons. Paulo Mandlate, S.S.S., Vescovo em. di Tete (*Mozambico*).
26	»	»	Mons. Walmir Alberto Valle, I.M.C., Vescovo em. di Joaçaba (*Brasile*).
29	»	»	Sua Em.za il Card. Achille Silvestrini, del Titolo di San Benedetto fuori Porta San Paolo, Prefetto emerito della Congregazione per le Chiese Orientali.
2	settembre	»	Mons. Andrea Gemma, Vescovo em. di Isernia-Venafro (*Italia*).
3	»	»	Mons. Athanase Bala, C.S.Sp., Vescovo em. di Bafia (*Camerun*).
»	»	»	Sua Em.za il Card. José de Jesús Pimiento Rodríguez, del Titolo di San Giovanni Crisostomo a Monte Sacro Alto, Arcivescovo em. di Manizales (*Colombia*).
4	»	»	Sua Em.za il Card. Roger Etchegaray, del Titolo della Chiesa Suburbicaria di Porto-Santa Rufina, Presidente em. del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace e del Pontificio Consiglio «Cor Unum», Vice-Decano em. del Collegio Cardinalizio.
5	»	»	Mons. Alberto Jara Franzoy, Vescovo em. di Chillán (*Cile*).